







Indice

CONSULTUM
PRO VERITATE
Super validitate Electionis in Provincialem

Adm. R. P. Mag. FRANCISCI FUENTES

Ordinis Patrum Eremitarum S. AUGUSTINI Provinciæ Chilen.





ROMÆ, MDCCLVII.

Ex Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ.

CONSULTUM

SVPER ELECTIONE PRIORIS PROVINCIALIS PROVINCIÆ CHILENSIS ORDINIS EREMITARVM S. PATRIS N. AVGVSTINI FACTA IN CONVENTV DOMINÆ NOSTRÆ DE GRATIA CIVITATIS SANCTI IACOBI, IN COMITIJS IBI DIE 31. IANVARIJ 1755. CELEBRATIS.

I. CVM dicta Prouincia relatis Anno, & die sua Comitia Prouincialia celebratura esset, & id exequi maxima cum tranquillitate speraret, eò quod nullum appareret motiuum, quod illius statum posset concutere: Ecce die 22. dicti Mensis (nempè octiduo antè inchoationem Capituli) quatuor Patres Magistri, videlicèt, FF. Augustinus Leyba, Iosephus Soto ex-Rector Prouincialis, Antonius Bergara, & Iosephus Araya, quendam Libellum Reuerendo Patri Prouinciali exhibuerunt, quo, sub specioso titulo Obedientiæ Apostolicis Sanctionibus debitæ, & validitatis electionum proximè faciendadarum, Patres Priores Conuentuum à suffragio actiuo in proximis Comitijs excludendos contendebant, & prò dicta prætensione adducebant, seù potiùs referebant quædam Breuia fel. rec. Clementis VIII., & Pauli V. queis statuebatur (juxtà dd. Magistrorum glossam): quod Priores Conuentuum Americæ, qui non habuerint de Familia *octo Religiosos radicalis, actualis, necessariæ, & continuæ assistentiæ in suis respectiuè Conuentibus, haud potiantur Voto in Capitulis*; Et prò eodem fine etiam citabant varia Rescripta Regis Catolici (hispanè Zedulas Reales) dictorum Breuium auxiliatoria; Et cum tanquam certum supponerent, omnes Priores huiusmodi Familiæ modo relato haud aluisse (à quà generalitate duntaxàt excipiebant Priorem Conuentus S. Ioannis, eò quod recensitam Familiam habuisset): idcircò resolutoriè, ac animosè à Patre Prouinciali petebant, vt dictos Priores tanquam non Vocales in proximis Comitijs declararet, & de facto à suffragio excluderet. Insuper asserebant: quod attestationes Iuridicæ, quas dicti Priores afferebant de habita Familia octo Religiosorum in suis Conuentibus erant subreptitiæ, & dolo exortæ; ideòque, eis non obstantibus, à Comitijs eijciendos omninò volebant: En summa dicti Libelli, cui subscripsere relati quatuor Patres Magistri. *Constat ex Instrumento Authentico sign. litt. A.*

II. Diebus 24., & 28. dicti Mensis secundum, & tertium Libellum in eundem scopum collimantem Patri Prouinciali obtulerunt; sed his Pater Magister Araya haud subscripsit (sicut, nec quarto, & quinto posteà Patri Præsidenti Capituli exhibitis); Sed tantum tres alij Magistri. Huic trinæ Patrum Magistrorum instantiæ Pater Prouincialis respondit, Se tali tempore nil sub-

stan-

ſtantiale poſſe innouare, aut erga Vocalium excluſionem, adhùc per Sententiam declaratoriam, decidere, cum intra bimeſtre celebrationis Capituli ſit hoc ei interdictum per Conſtitutionem Ordinis, niſi in caſibus in ea expreſſis, cuiuſmodi non erat præſens; Quapropter debebant ad Tribunal Patris Præſidentis Capituli, & Iudicum Cauſarum recurrere, ſi quidquàm aduerſus Votum Priorum excipiendum haberent. *Totum conſtat ex citato Inſtrumento, & ex Actis Capitularibus...*

III. Die 31. ejuſdem Ianuarii, poſtquam Veſperæ fuere decantatæ Pater Prouincialis ad receptionem Patris Præſidentis, proùt de more proceſſit, & præmiſſis omnibus de jure præmittendis, Pater Magiſter Fr. Franciſcus Fuentes exhibuit Literas Patentes Reu. Patris Noſtri Magiſtri Generalis, per quas eum primò locò in Præſidem præſentis Capituli conſtituebat, & ſecundò locò, Patrem Magiſtrum Frat. Michaelem Chacon, ac tertiò locò, Patrem Lectorem jubilatum, & Præſentatum Fratrem Emmanuelem Yrribarrem Regentem Studiorum; Sed dictus Pater Magiſter Fuentes Officio Præſidentis humilitèr ceſſit, tàm vi facultatis in dd. Literis ipſi permiſſæ, quàm praxis Prouinciarum, & ſignantèr dictæ Prouinciæ, vbi inoffenſo pede, & nemine reluctante, id ipſum multotiès fuit practicatum. Sed ecce noua contentio; Nàm relati quatuor Patres Magiſtri acriter contendebant, dictum Patrem Magiſtrum Fuentes ſinè juſtis, ac releuantibus cauſis coram Capitulo exprimendis, ab eoque approbandis, haud poſſe dicto Officio cedere, & quod illud admittere, & exercere debebat; Pater verò Prouincialis, & cęteri Gremiales contrarium tenebant: Et poſt varias tunc, & indè altercationes à pluralitate dictaminum reſolutum fuit: Ceſſionem dicti Magiſtri Fuentes habere locum, & quod Officium Præſidentis ad alium ex nominatis tranſiret, nempè ad Magiſtrum Chacon ſecundò locò inſtitutum. *Ex citat. inſtrum.*

IV. Sed illicò P. Magiſter Soto Ex Rector Prouincialis, nulla expoſcita venia, aut præmiſſo aliquo reuerentiæ, & vrbanitatis ſigno effrontis ſurrexit, & coram vniuerſo Religioſorum Cætu quoddam folium alta, & irreuerenti voce legere incæpit; Et licèt Pater Prouincialis ter eidem ſilentium impoſuerit, & quod ſi quidquam alicui Vocalium opponendum habebat, illud ad Iudices Cauſarum afferret: ipſe tamen trinum Patris Prouincialis præceptum ſpernens, lecturam Folij continuauit, & exſoluit. Textum literalem dicti Folij referre non poſſumus; quia, eo lecto, occultauit, & ampliùs non comparuit. Sed in ſubſtantia quatuor ſequentia continebat Capita = Primum: Patrem Prouincialem carere voce actiua in Comitijs, eò quod Patribus Difinitoribus Ioſepho Moral, & Clementi Echagaray licentiam dederit, vt primus iret ad Conuentum Portus de Valparayſo, & ſecundus ad Conuentum S. Ioannis = Secundum: dictos Patres Difinitores eadem vocis priuatione eſſe innodatos, eò quod relatam licentiam admiſerint, & executioni mandaſſent = Tertium: Patrem Magiſtrum Fuentes

pariter

pariter esset voto priuatum ob dimissionem Officij Præsidentis Quartum denique: Patrem Magistrum Chacon etiam voto carere; quia Prioratui Conuentus de Mendoza, post biennium possessionis renuntiauit. En quatuor Capita in dicto Folio contenta, cujus lectura finita D. Magister Soto gloriabundus sedit, & quasi plausum exigens ac si vno solo ictu papyraceo quinque præcipuos Vocales è medio substulisset. *Ex cit. Instrum.*

V. Immediatè Pater Prouincialis in Capituli Præsidem recepit Patrem Magistrum Chacon, in Literis Præsidentiæ secundò locò institutum; Sed dicti quatuor Patres Magistri protestati sunt de nullitate tàm Iuris, quàm Facti, omnium agendorum: quin talis protestationis causam exprimerent, aut aliquod fundamentum, seù motiuum adducerent, qua non obstante, omnes alij præsentes tàm Vocales, quàm non Vocales, dictum Magistrum Chacon in Præsidentem agnouerunt, eique obedientiam præstarunt. Et cum iàm serò esset, & Pater Præses vellet ad electiones Iudicum Causarum incunctanter procedere: En noua contentio. Nàm dd. Patres Magistri volebant, Patres Priores hujusmodi electionibus minimè interesse, eo quod isti coram Iudicibus Causarum suas attestationes juridicas de Familia habita in suis Conuentibus exhibere debebant, & ob hanc causam ab eorum electionibus Priores excludendos dicebant, prò illorumque exclusione obstinatè instabant; Sed Pater Præsidens tàm iniustæ prætensioni restitit, cum per Constitutiones Ordinis ad dictam expulsionem nulla potiatur facultate; Et post varias hac super re altercationes, tandèm conclusit: Quod omnes Priores, qui erant in possessione ferendi suffragium in electione Prioris Prouincialis, ad Iudicum Causarum Electiones concurrerent, cum ità expresſè præscribant Constitutiones Ordinis; Et quod posteà coram dictis Iudicibus seriò tractaretur, an Priores omnes, vel eorum aliqui debeant Voto gaudere in præsentibus Comitijs. Et facta denuò per dd. quatuor Magistros protestatione, modo recensito (quæ erat frequens Cantilena in omni actu, & resolutione ab ipsis non prætenso) deuentum fuit ad electiones Iudicum Causarum; & euasere electi Pater Magister Fr. Franciscus Fuentes, & PP. Lectores jubilati, & Præsentati Emmanuel Yrribarren, & Bernardus Burgoa, omnes septemdecim Votis fauorabilibus, cum prò tunc totum Capitulum 24. Vocalibus constaret. *Ex cit. Instrum.*

VI. Dein P. Præses vnà cum Iudicibus Causarum dictis quatuor Magistris per quoddam Decretum injunxit; vt intra vnius horæ spatium, à dicti Decreti intimatione computandum, coram tali Tribunali adducerent quidquid Voto Patrum Priorum habebant obijciendum, ac simul producerent Instrumenta Authentica ad probandum suam intentionem, videlicèt dictos Priores haud habuisse relatam octo Religiosorum Familiam, vt istorum Instrumentorum facta collatione cum illis per Priores allatis, & vtriusque in judicio contradictorio æqua lance libratis perspicuè appareret, quænam sint potiora, & verisimiliora prò dirimenda vergente controuersia. Sed cum præfixum vnius horæ tempus,

ea reprobare, & à Comitijs excludere. Ad hoc dicta litera exortatoria reducebatur. Pater verò Præses, qua decet veneratione Regiæ Exortationi paruit, Et licèt certò sciret, dictos Priores esse legitimos Uocales, eorumque vota iam esse qualificata, & approbata, tamen simul aduertens, Patres Magistros nil aliud prætendere, quàm Prouinciæ, & Comitiorum quietem turbare, ac Prouincialis electionem impedire, atque nullo alio arbitrio, nisi Priorum exclusione, eos posse sedare, & ad aliqualem concordiam reducere: vt Prouinciæ, & Comitiorum paci consuleret, alijsque inruentibus malis obuiam iret; De consilio, & consensu Iudicum Causarum dictos sex Priores è loco Capituli eijciendos decreuit, & de facto eiecit sequenti Clausula: *Saluo tamen eorum iure, & quomodo possit, & potuerit vox omnium, & vnius cuiusque pluralitati vocam vniri, & agregari, ex sufficientia suffragandi.* Hoc Decretum coram plena Comunitate dictis Prioribus fuit notificatum, eoque audito, dixere, Quod ob Prouinciæ, & Comitiorum quietem humiliter ei parebant: tametsi, nec dictamen Fiscalis, nec Regij Senatus Decretum, eos à suffragio excluderent. Adiungentes: Quod ob amorem pacis Prouinciæ, & nè noua, ac forsan grauiora orirentur scandala, abstinebunt à ferendis suis suffragijs forma ordinaria, & consueta: Sed sine preiudicio Iuris, quod ad suffragandum habent, *quo vtentes modo sibi facultatiuo, ac possibili, sua suffragia, seù vota vniebant pluralitati vocum, quæ in electione Prioris Prouincialis pro aliquo fuerint repertæ. Quæ omnia deslarationi Reuerendissimi Patris Magistri Generalis humiliter submittunt. Ex cit. Instrum. sign. lit. A & Actis Capit.* Quam responsionem, & protestationem in scriptis dedere.

XI. Sex Prioribus ex Aula Capitulari sub dicta protestatione egressis, illic duntaxat remansere duo de viginti Vocales: & præmissis de Iure præmittendis, hora octaua cum dimidia noctis (Italicè verò hora tertia noctis), processum, est ad primum scrutinium pro Prioris Prou. electione, nulla interueniente contradictione, aut protestatione ex parte dictorum quinque Magistrorum, Et prima scrutatione peracta, & per Patrem Magistrum Solis primum Scrutatorem publicata, inuentum est: Patrem Magistrum Fr. Franciscum Fuentes nouem suffragia habere; Patrem Magistrum Fratrem Augustinum Leyba, septem; Patrem Lectorem Iubilatum Fr. Laurentium Guerrero, Priorem Conuentus Sancti Jacobi, vnum suffragium; & aliud Patrem Lect. Iub. Fr. Ioannem Oruna. Hac audita dicti scrutinij publicatione, illico Pater Magister Frater Iosephus Soto, tanquam ex tripode alta voce dixit = *Pro Reuerendo Patre Magistro Fratre Augustino Leyba electionem stare*; idest, dictum Patrem Magistrum euasisse electum in Priorem Prouincialem quin rationem aliquam sui dicti afferret. Confestim in locum Capituli introierunt illi Religiosi fugitiui supra indicati, & dicto Patri Magistro Leyba Capam, seù Pluuiale imponentes, ipsum in Ecclesiam de-

du-

3

præmissis de iure in Iudicio summario prę mittendis, & probata per ferme septem horas eius contumacia, Pater Præses, de consensu Iudicum Causarum, excommunicatum, & alienum à suffragio declarauit, modo, & circumstantijs, infra §.III. n. 10. per totum dicendis. Luce in sequenti (videlicet die prima Februarij pro electione Prioris Prouincialis peremptoria) dicti Patres Magistri quintum libellum porrexerunt: Quo denuò protestantur, non intendere summitti, & instantiam pro Priorum exclusione quintò reproducunt, et simul exhibent Instrumenta toties inculcata & promissa. Huic libello non solùm subscripsere Patres Magistri Leyba, Soto, & Bergaña, sed etiam Pater Magister Fr. Ioseph Solis, qui velùt Neo = Athleta illis in subscriptione accessit = Sequenti modo tali Libello fuit prouissum = Non esse locum huiusmodi instantiæ, tàm ob lapsum termini ad respondendum, & producendum dicta Instrumenta prefixi; quam ob notorietatem conatuum, ac manipulationum, queis Instrumenta nunc producta erant extorta. Et hoc Decretum fuit etiam Patribus Magistris notificatum. *Ex citat. Inst. sign. lit. A.*

IX. A relati Decreti intimatione, est difficile dictu, quot turbas dd. Patres Magistri excitauerint; quot rixas, & tumultus mouerint; ac frequentes recursus ad Regium Tribunal, & Gubernatorem Regni, siuè per se ipsos, siue per alios Religiosos Iuuenes eis adhærentes, interposuerint? Nam, iam hora octaua noctis erat elapsa, & nullum scrutinium pro electione Prouincialis potuerat celebrari, Pater verò Pręses in hac maxima tribulatione, ac intra Sacrum, & saxum positus, multa animo suo voluebat, pro pace Prouincię stabilienda, nullumque lapidem immotum sinebat, vt dictos Patres Magistros ad electionem Prouincialis concorditer celebrandum reduceret, sed infructuosè, ac inutiliter, cum nullo arbitrio posset eos à prætensa Priorum exclusione remouere, aut quidquam cum ipsis super negotio electionis pacificè tractari, Nec minus valebat auxilio authoritatis, & repræsentationis Officij ad eorum coercitionem fulciri, absque imminenti discrimine maiora exinde oritura scandala, tùm quia obedientiæ iugum vanis prætextibus penitus excusserant, tùm etiam quia iam secum habebant cohortem armatam, compositam ex dictis Religiosis fugitiuis, quos nocte anteriori clanculo in Conuentum attulerant. *Ex citat. inst. lit. A.*

X. Dum ob motiua dicta Pater Præses ancipitibus vndique premeretur angustijs: Ecce, quandam literam à Regio Senatu, & Gubernatore Regni accepit; vi cuius ad Prouincialis electionem pacificè, & concorditèr celebrandam hortabatur, et quod pro tali fine totis viribus satageret, & nullum medium intentatum relinqueret, sinendo tamen dicti Patris Præsidentis arbitrio; vel approbare sex Priorum vota, de queis erat controuersia, vel

 ea

ea reprobare, & à Comitijs excludere. Ad hoc dicta litera exortatoria reducebatur. Pater verò Præses, qua decet veneratione Regiæ Exortationi paruit, Et licèt certò sciret, dictos Priores esse legitimos Uocales, eorumque vota iam esse qualificata, & approbata, tamen simul aduertens, Patres Magistros nil aliud prætendere, quàm Prouinciæ, & Comitiorum quietem turbare, ac Prouincialis electionem impedire, atque nullo alio arbitrio, nisi Priorum exclusione, eos posse sedare, & ad aliqualem concordiam reducere: vt Prouinciæ, & Comitiorum paci consuleret, alijsque ingruentibus malis obuiam iret; De consilio, & consensu Iudicum Causarum dictos sex Priores è loco Capituli eijciendos decreuit, & de facto eiecit sequenti Clausula: *Saluo tamen eorum iure, & quomodo possit, & potuerit vox omnium, & vnius cuiusque pluralitati vocum vniri, & agregari, ex sufficientia suffragandi*. Hoc Decretum coram plena Communitate dictis Prioribus fuit notificatum, eoque audito, dixere, Quod ob Prouinciæ, & Comitiorum quietem humiliter ei parebant: tametsi, nec dictamen Fiscalis, nec Regij Senatus Decretum, eos à suffragio excluderent. Adiungentes: Quod ob amorem pacis Prouinciæ, & nè noua, ac forsan grauiora orirentur scandala, abstinebunt à ferendis suis suffragijs forma ordinaria, & consueta: Sed sine preiudicio Iuris, quod ad suffragandum habent, *quo vtentes modo sibi facultatiuo, ac possibili, sua suffragia, seù vota vniebant pluralitati vocum, quæ in electione Prioris Prouincialis pro aliquo fuerint reperta. Quæ omnia declarationi Reuerendissimi Patris Magistri Generalis humiliter submittunt. Ex cit. Instrum. sign. lit. A & Actis Capit.* Quam responsionem, & protestationem in scriptis dedere.

XI. Sex Prioribus ex Aula Capitulari sub dicta protestatione egressis, illic duntaxat remansere duo de viginti Vocales: & præmissis de Iure præmittendis, hora octaua cum dimidia noctis (Italicè verò hora tertia noctis), processum, est ad primum scrutinium pro Prioris Prou. electione, nulla interueniente contradictione, aut protestatione ex parte dictorum quinque Magistrorum, Et prima scrutatione peracta, & per Patrem Magistrum Solis primum Scrutatorem publicata, inuentum est: Patrem Magistrum Fr. Franciscum Fuentes nouem suffragia habere; Patrem Magistrum Fratrem Augustinum Leyba, septem; Patrem Lectorem Iubilatum Fr. Laurentium Guerrero, Priorem Conuentus Sancti Jacobi, vnum suffragium; & aliud Patrem Lect. Iub. Fr. Ioannem Oruna. Hac audita dicti scrutinij publicatione, illico Pater Magister Frater Iosephus Soto, tanquam ex tripode alta voce dixit = *Pro Reuerendo Patre Magistro Fratre Augustino Leyba electionem stare*; idest, dictum Patrem Magistrum euasisse electum in *Priorem* Prouincialem quin rationem aliquam sui dicti afferret. Confestim in locum Capituli introierunt illi Religiosi fugitiui supra indicati, & dicto Patri Magistro Leyba Capam, seù Pluuiale imponentes, ipsum in Ecclesiam de-

du-

duxerunt, non processionaliter, vt de more, & ex præscripto legis fit, sed tumultuariè, & eum sucollantes, vbi illum in Prouincialem confirmauit, Pater Lector Iub. Frater Augustinus Gutierrez, Diffinitor Capituli præteriti, eique tanquam Prouinciali electo obedientiam dederunt septem Vocales, qui in ipsum consenserant; & alij fere duodecim, vna cum fugitiuis. Deinde, Ecclesiæ foribus violenter apertis, exiuit relata Caterua stipatus, vt tanquam Prouincialis electus inuiseret Gubernatorem totius Regni, & Illustrissimum Ciuitatis Presulem, *Ex citat. Instrument. sign. litt. A.*

XII. Pater verò Præses nullo arbitrio valens seditionem nouiter exortam sedare, ac tumultuantes Patres compescere, cum ceteris Vocalibus, alijsque supra septuaginta Religiosis in Aula Capitulari remansit, ibique dictum Magistrum Fuentes in Priorem Prouincialem confirmauit, eique omnes illic superstites obedientiam præstarunt. Non tamen illum processionaliter ad Ecclesiam deduxit; eo quod illic essent dicti Magistri Leyba Gregales; & prudenter timuit, ne ex simultanea vtriusque Partis præsentia noua resultarent scandala, & eò grauiora, & indecentiora, quò locus erat sacratior; Vnde consultò eum in Cellam suam processionaliter duxit, vna cum dictis Religiosis ipsi obtemperantibus. Duobus sequentibus diebus (nimirùm die secunda, & tertia Februarij) huiusce electionis factum fuit hinc, & indè seriò discussum: & die quarta omnes vocales (excepto Patre Magistro Bergara graui infermitate extra Claustra detento] ad Diffinitorum electiones simul conuenere, vna cum Magistro Fuentes, tanquam Prouinciali Electo, ex quo etiam fuit compositum Diffinitorium plenum nouē Patrū pro electionibus Priorum, Officialium, aliarumque determinationum ad Diffinitorium Prouinciale spectantium. *Const. ex cit. inst. sign. lit. A.*

XIII. Hoc est genuiuum ac veridicum totius Capituli factum, fideliter, & legaliter extractum, tàm ex Actis Capitularibus originalibus, quàm ex Instrumento Authentico citato; necnon alijs in decursu Consulti referendis, Et quamuis circa Factum tot notabilibus ac peregrinis circumstantijs refertum, quam plurima, & non importuna possent agitari dubia; ad ea primis Calamum perstringemus, quæ electionem factam concernunt, & consulti resolutionem dilucident, & si incidenter de alijs discutietur, quæ aduersæ Partis machinamenta eneruent. Insuper de omnibus in relato facto contentis, & aliqua animaduersione dignis, saltem pertransennam agemus, *nè aliquid prætermissum forte remaneat, quod annecti conueniat*; vt dicitur in *C. Iudicantem 11. 30. quæst. 5.* Et quia multoties. *singula quæ non prosunt, simul collecta iuuant. Glossa in C. Cum Causam 13. v. Adminicula de Probat.* Et vt recensita perspicuè, & distinctè fiant, præsentis Consulti materies in varios diuidetur?:

Num. 1. I. Vt in resolutione dubii in Consulto contenti solidè,& clarè procedamus, nonnulla tanquam præludia statuere debemus. Præmittendum primò, quod electiones ex Constitutionibus Ordinis 3. *part. cap.* 2. *num.* 1. in duplici sunt differentia: aliæ namque sunt Canonicæ aliæ verò non Canonicæ. Primæ sunt, *in quibus maior pars Electorum convenit; ita ut si viginti fuerint Electores, uni, & eidem undecim ad minus suffragari debeant.* Idem innuitur eadem 3. *part c.* 3. §. *V. n.* 5., & *c.* 10. §. *X. n.* 2. Et hæc majoritas, non sufficit si solùm sit respectu alterius Partis pauciora vota habentis,sed insuper requiritur,quod sit respectu totiusCapituli,idest,saltem unum suffragium supra medietatem totius numeri Electorum;per *c.Hoc ipsum* 11.33.*q.*3.*c.Bonæ* 3.*de Postulat.Prelat.c.Dudum* 22.*c.Auditis* 29.*c. Quia propter* 42.*de Elect.*, &*c.Si cui* 23.*eod. in VI.* cum *concord.* & *Doctor. comm.* & ita fuit resolutum in Tarraconensi Abbatiæ 14. *Ianuarii* 1663. coram Durano. Et hujus generis sunt in Ordine nostro electiones Prioris Generalis, Prioris Provincialis, & Visitatorum Provinciæ ex d. Constit. 3. *p. c.* 3. §. *V. n.* 5. *c.*9. §. *VI. n.*5., & *c.* 10. §. *X. n.*2. & 4.

II. Et licet hoc sit indubitatum quando Electores sunt in numero pari, seu Eligentium vota sunt paria (ut patet in exemplo apposito); tamen quando sunt imparia multi tenent, ad electionem Canonicam sufficere quemlibet excessum, etiam si sit unius dimidii voti supramedietatem totiusCapituli exempligratia. Si omnes Electores sunt 13. sufficient 7. vota, ut quis sit canonice electus; & si sunt 21. sufficiet habere 11. Ita docent Abbas in *c. Cumana n.* 6. *de Elect.* & ibi Butr. *n.*15. Card. de Luca *tom.*1. *disc.*1. *de Parochis n.* 18. Passerin. *de elect. Can.c.* 19. *q.*4. *nu.*18. Sanig. *de elect. c.* 4. *n.* 9. Sigismund. de Bononia *de elect. dub.*36. *n.*8. Reinffest. *lib.*1. *Decret. tit.*6. §.6. *n.* 139. & alii plures: cujus ratio est; Quia Jura loquuntur indistinctè, quod valeat electio facta à majori parte Capituli, & nullibi addant, debere esse excessum unius integri voti; Igitur, sufficit qualiscunque excessus; Nam ubi jura non distinguunt, neque nos debemus distinguere. Et hæc doctrina haud obscurè innuitur in Constitutione Ordinis 3.*p. c.*2. *n.*1. ubi loquens de electione non canonica statuitur;ad eam sufficere pluralitatem vocum, etiam si non excedat medietatem. Ergo à contrario sensu (quod est argumentum validissimum in utroque jure ex *c. Qualis hinc dist.* [illegible] §. *hujus rei ff. de officio ejus &c.* & *comm. DD.*) pro electione Canonica sufficiet pluralitas vocum excedens medietatem, quæ optimè salvatur in quolibet excessu, & si tantum sit [illegible] Votum. Videant infra dicenda. §. *III. n.* 1. & § [illegible] & 143.

III. Secundæ verò electiones (nempe non canonicæ) sunt, in quibus ille censetur electus, in quem plures vota conveniunt, etiam si non excedant medietatem: Ita Con[illegible] *p.* 3. *cap.* 2.

*n.*1. unde si Electores sunt duodeviginti, & in unum conveniant 9. vota, in alium 7., & in alium 2.; Primus evadet electus non canonicè, & huius generis sunt in Ordine nostro electiones Diffinitorum, Priorum, aliorumque Officialium, necnon Diffinitoris, & Discreti pro Generalibus Comitiis = 3.*p.c.*9. §. 7.*n.*1., *&* *c.*10. §.10.*n.*4. *in qua electione* (videlicet non canonica) *si duo, vel tres concurrantin eodem numero votorum, illum ipso iure pro electo volumus habere, qui priorem locum habuerunt in Ordine nostro* : inquit Constit. 1. *c.*3.*p.c.*2.*n.*1.

2. I. Præmitendum 2. Quod Priores Conventuales in Ordine nostro, ex proprio iure, munere, ac titulo, voto fruuntur in Comitiis Provincialibus. Ita expressè Const. Ord. 3. *p. c.*9. §.1. *n.*1., §.5. *n.*4. *c.* 13. *n.*2. *c.* 14. *n.*6., *c.* 17. *n.* 18. Et Decreta Capituli Generalis anno 1685. Romæ celebrati. *pag.* 81. *n.*5. ibi = *Id enim* [nempe Votum in Comitiis Provincialibus] *solum iis, qui re ipsa Priores sunt, Conventusque administrant, de iure competere debet*. Quam ob causam Prior Provincialis strictè tenetur eos opportuno tempore ad Comitia convocare = 3. *p.c.*9 §. 1. *n.*1. *&* 6. *pag.* 218. ubi literæ convocatoriæ extensæ. Imò dicti Priores suffragio potiuntur in electionibus Iudicum Causarum, Prioris Provincialis, Definitorum, Visitatorum Provinciæ, & Definitoris, ac Discreti Capituli Generalis, si tunc fiat eorum electio = Ex dd. Const. 3. *p. cap.*6. §. 3. *in fine lit. A.* §.5. *n.*4. § 7. *n.*1. §.10. *n.*2. *c.*10. §.10. *n.*4. *&* 5. *c.*14. *pag.*295. ubi literæ testimoniales extensæ dd. Definitoris, & Discreti Generalium. Ex queis omnibus manifestè elicitur, Priores Conventuum esse in Comitiis Provincialibus legitimos Vocales proprio jure, munere, & titulo.

II. Et qui est in possessione juris eligendi, præsertim si sit jure proprio, & titulo, verè, ac validè eligit, nec ejus suffragium valet impugnari. Ita *Comm. DD.* Imo ad hoc non requiritur, aut est necessaria perfecta, & certa possessio, sed sufficit quasi possessio, quæ ex unico tantùm actu electionis habito jure proprio, scientibus aliis Electoribus, & patientibus, acquiritur. *C. Cum Ecclesia* 3. *de caus. poss.* & ibi Glossa *vers. Brevitatem*, & *DD.* Barbosa in *c. Quærelam n.*9. *de elect.* Passerin. *de elect. c.* 3. *q.* 2. *n.*30. Lezana *in sum. tom* 2. *v. Electio n.*77. & alii. Sed hujusmodi actus haud debet esse obscurus, vel dubius, sed clarus, & certus, ut tenent *DD. citati*. In nostro Ordine Priores Conventuum habent jus certum & indubitabile suffragandi in Comitiis, ut constat ex proximè dictis; & in Provincia Chilensi ab ejus primordiis in tali possessione fuerunt, jure proprio, & titulo, aliis Electoribus scientibus, ac minimè impugnantibus (una tantum vice excepta, infra *n.*32. referenda], sed simul cum eis ad electiones concurrentibus. Ex quo manifestè evincitur, dictos Priores ante hanc fuisse, & nunc esse legitimos Vocales, & non nisi injustè, ac per injuriam eorundem suffragium posse impugnari.

3. Præmittendum 3. Integrum Capitulum cujusvis Communitatis, Collegii, seu Universitatis necessariò consurge-

re non solum ex Gremialibus loco loci præsentibus, & reverà scrutinio electionis interessentibus, sed etiam ex aliis absentibus, non vocatis, sed contemptis. Unde in electione istorum etiam habenda est consideratio, eorumque vota inter suffragia totius Capituli veniunt numeranda, ut sciatur, an hujusmodi electio à majori parte Capituli fuerit celebrata: taliter, ut electio haud evadat Canonica, quin potius ipso jure nulla, si electus non sit nominatus à majori parte, computatis etiam Gremialibus non vocatis, sed contemptis. Primo: quia hi non vocati, sed contempti, sunt in numero eorum, qui debent, volunt, & possunt comodè electioni interesse; Et sic per respectum ad istorum vota debet accipi illa major pars vocum totius Capituli ad validitatem, & canonicitatem electionis necessariò exposcita. Ita ex Panormitano, Innoc. Ægidio, & Joann. Andræa, tenet Passerin. *de elect. c.11. q.12. n.112. c.14. q.2. n.13., & c. 19. q.2. n.11.* Idem propugnant Lezan. *tom.* 4. *Consilior. cons.* 10 *n.*30. Mathaucci *in official. Curiæ c.*22. *n.* 2. Reinffest *l. c. sup.* §. 5. *n.* 120. Schmalzgrueb. *ibid.* §.3. *n.*23., & 49. & *comm. DD.*

II. Secundo; quia exploratissimi juris est, electiones ad quas non admittuntur omnes, qui sunt de Collegio, vel vocem habere debent in illis, irritas esse, & invalidas. *C. Quod sicut* 28 *C. coram dilecto.* 35. *C. Bonæ memoriæ.* 36. *C. In genesi.* 55. *Et c. Quia propter* 42. *de elect.* ubi *DD. Comm.* Unde Sag. Congregatio negotiis Ep., & Regul. præposita 2. *Martii* 1635. quoddam Capitulum Ordinis nostri annullavit, ob prohibitionem quibusdam Gremalibus factam, ne eidem assisterent, teste Lezana in *sum. tom.* 2. *v. Electio n.*6. Quod est intelligendum etiam si unus dumtaxat Vocalis excludatur. Siquidem electioni, plus unius contemptus, quàm multorum contradictio obsistit, ut dicitur *c. Venerabilem* 24. *de elect.* & *dd. CC. Bonæ memoriæ*, & *Quia propter eod.* Id ipsum tenent Passerin. *l. cit. c.* 11. *à num.* 112. Lezan. *l. cit. n.* 182. & *tom.*4. *cons.* 10. *n.* 30. Schmalgr. *l. cit.* & alii plures. Et meritò quidem: quia unius Vocalis contemptus, & si materialiter parum videatur, magnum est moraliter, ut ex Suar. Bonac. Garzia, & Sigism. docet Passerin. *l. cit. q.*3. *n.*39.

III. Et si Vocales absentes, qui non sunt vocati, sed contempti in numero Votorum totius Capituli debent computari, ac etiam ad ipsos haberi debet respectus, ut quis à maiori parte Capituli dicatur Canonicè electus: potiori, ac fortiori jure in numero Vocalium totius Capituli Provinciæ Chilensis sex Priores [tandem ab Aula Capitulari ex injuria ejecti) erant computandi. Nam jam pro dictis Comitiis erant convocati juxta præscriptum Const. Ordinis 3. *p. c.*9. §.1. *n.*1. & 6. in Patentalibus extensis, & *c.* 17. *n.* 18. imò jam erant in Domo Capitulari præsentes. Item, jam electionibus Judicum Causarum interfuerant. Ac tandem eorum vox activa in Comitiis erat qualificata & approbata, ad normam dd. Const. 3. *p. c* 9. §.3. *n.*1. & 3. *totum constat ex Actis Capitul.* & *Instrum. auth. sig. l. A.* Igitur, inte-

grum

grum præsens Capitulum, nedum ex duodeviginti Gremialibus superstitibus, & scrutinio electionis Provincialis phisicè præsentibus; verum etiam ex dd. sex Prioribus ejectis necessariò constabat: taliter, ut respectu utrorumque debeat computari illa major pars Vocum, ad electionem canonicam omninò necessaria. Quod rationabiliter affirmatur, inquit Passerin. *d.c.*11.*n.*112., & concordat Schmalzg. *l.cit.* *n.*23. Quia si dd. Patres Priores revera à dicto scrutinio absuere, non fuit quia noluissent interesse, aut suæ voci renunciaverint, sed tantùm ex injuria illis facta, ob inflexibilem Patrum Magistrorum duritiem nullo alio arbitrio acquiescere volentium, ut manet dictum in relatione facti *n. VII. IX. & X.* Sed eorum jus suffragandi conservavit illæsum clausula præservativa in Decreto executionis apposita, nempe = *Salvo tamen eorum jure &c.*, quàm eorum protestatio egressui suo ab Aula Capitulari præmissa, de queis in *d. Relatione num.*X. & infra *n.*62.*III.*

4. Præmittendum 4. In nostris electionibus non esse necessariò, ac rigorosè observandam electionis formam *in c. Quia propter* 42. *de elect.*, benè verò à Concil. Trid. sancitam *sess.*25. *de Regular. cap.*6. ibi = *in electione Superiorum quorumcumque, Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, quò omnia rectè, & sine ulla fraude fiant, in primis sancta Synodus districtè præcipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta; itaut singulorum Eligentium nomina nunquam publicentur.* En ibi Concilium, dictam formam in Prælatorum Regularium electionibus non solùm præscribit, sed strictè observandum præcipit; quin ullam mentionem *d. c. Quiapropter* fecerit. Igitur formam ab illo statutam, & non in dicto capite contentam, observandam intendit. Item in Decretis Clementis VIII. pro reformatione Regularium editis anno 1594. pro omnibus Ordinibus sic statuitur = *In Superiorum, & Officialium omnium electionibus forma præscripta à Sacro Concilio Tridentino, & Ordinis Constitutionibus inviolabiliter servetur. In Bul. Rom. Cherub. tom.*3. *Const.*60. *SS. Pont.* Et id ipsum Sacram Congregationem Concilii declarasse, referunt Garzias, Castelin., Samuel, & alii apud Passerin. *de elect. cap.* 1. *q.* 4. *n.* 57. Idemmet terminis terminantibus disponunt Const. Ord. 3.*p.c.*2.*n.*2. citato Decreto Concilii Tridentini inhærentes. Igitur formam à dicto Concilio præscriptam in nostris electionibus obserbare debemus.

5. Præmittendum. 5. Bullam Ven. Innoc. XI. incipientem *In supremo militantis Ecclesiæ.* 17. *Martii* 1681. *in Bul. Rom. nouiss. tom.* 8. *constit.* 55. *b. Pontif. pag.* 82. peculiariter pro Prouincia Quitensi esse expeditam, vt ex eius titulo, summario, exordio, narratiua, & dispositiua, apertissimè constat. Sed quia in hoc Consulto ea frequentissimè vtimur in rebus ad Prouinciam Chilensem spectantibus, ne ignorantiæ causæ arguamur, est aduertendum, quod Decreta per citatam Bullam confirmata sunt duplicis generis. Prima, sunt merè dispositiua, pro bono regimine d. Prouinciæ Quitensis; vel ad reformationem

quo-

quorundam abusuum, qui illic inualuerant, & punitionem excessuum in ea emergentium, ordinata. Secunda sunt Decreta purè declaratoria quorundam textuum dubiorum Constitutionis Ordinis. Decreta primi generis, cum sint peculiaria Statuta Prouinciæ Quitensis, in illa tantum obligant, & ad alias Prouincias nequeunt extendi, nec eis possunt vti. Tamburin. *de Iur. Abb. tom. 1. disp. 17. q. 6. Lezana tom. 4. const. 31. num. 34. & DD. comm.* Secundi vero generis, cum sint merè declarationes Constitutionis Ordinis, vniuersum ordinem compræhendunt, & sic ad omnes Prouincias extenduntur, omnesque eis tenentur, eò quod declarationes alicuius legis nouam legem non afferunt, sed tantùm legis præexistentis explicationem, ex dicendis infra *num. 26.* Et ob hanc causam tàm Constitutiones Ordinis recentioris editionis, quàm Decreta Capituli Generalis anni 1685. Romæ celebrati, dictam Bullam *In supremo* frequentissimè citant quoad tales declarationes in rebus ad vniuersum Ordinem pertinentibus; minimè verò quoad alias dispositiones in ea contentas, vtpote peculiares Prouinciæ Quitensis. Idipsum nos facimus in præsenti Consulto, & nil amplius.

6. Præmittendum 6. Quod licèt in Prouincia Chilensi, & cæteris Americæ, præsertim Meridionalis, haud sint in vsu Constitutiones postræmæ editionis factę Romæ anno 1686. (quæ vulgò appellantur *Constitutiones nouæ*), sed anterioris editionis ibidem factæ anno 1625. ob motiua inferius adducenda §. V... *à n. 26.*; tamen omnes citationes Constitutionum Ordinis in hoc Consulto positæ erunt relatiuè ad dictas Constitutiones postremæ editionis, seu nouas, tum quia hæ sunt majori claritate, & separatione dispositæ præantiquioribus ac proinde pro fine dictarum Citationum commodiores, tum etiam quia, cum sint vltimæ editionis d. an. 1686. factæ, earum exemplaria facilius inueniuntur, & præ omnium manibus versantur; secus accidit in aliis antiquioris editionis, quarum exemplaria rarissimè inueniuntur, & nonnisi forsan in Prouinciis Americæ, vbi sunt in vsu; Et sic vna, vel altera vice duntaxat istæ Constitutiones antiquæ citantur, dum poscit necessitas: & tunc in citatione exprimitur sic *Constitutiones antiquæ Ordinis*. Quando verò citatio est absoluta, seu sine tali addito, ad Constitutiones nouas refertur = His præmissis ad præcipuam Consulti resolutionem deueniamus.

§. I I.

7. I. Asserendum videtur, electionem Patris Magistri Fr. Francisci Fuentes in Priorem Prouincialem Prouinciæ Chilensis in dd. Comitiis celebratam fuisse validam, ac ritè, & canonicè factam, quapropter sustinendam. De validitate dictæ electionis ex parte Electi haud licet dubitari, cum nullum impedimentum, siue ex jure canonico, siue municipali Religionis proueniens ei obsit, aut

pos-

possit obiici, vt dicetur infra *n.* 23.; Et si Pars aduersa ejus habilitatem inficiari contendat, illud debet probare, eò quod d. Pater Magister in pacifica, indubiaque possessione vocis passiuæ ad Prouincialatum vsque modo fuerit, à qua nunc nequit depelli absque præuia Sententia declaratoria Iudicis, seu Prælati, ex dicendis infra *a num.* 93.; Vnde solum potest in dubium verti, an huiusmodi electio fuerit canonicè facta, idest, an fuerit canonica, modo supra *num.* 1. explicato, & per Constitutiones Ordinis præscripto 3. *p. c.* 3. §. 5. *n.* 5., *& c.* 9. §. 6. *n.* 5. Et quod ita fuerit dumtaxat superest probandum, & probatur sic. Ille dicitur canonicè electus, in quem major pars Eligentium, seu totius Capituli conuenit; & cum in d. Magistrum Fuentes maior pars Electorum, seu totius Capituli consenserit: sequitur, fuisse canonicè electum. Major patet ex dictis *cit. n.* 1.; Minor probatur. Totum præsens Capitulum 24. Electoribus constabat, nimirum 18. Vocalibus in Aula Capitulari superstitibus, & sex Prioribus ex illa iniustè ejectis, vt liquet ex dictis supra *num.* 3.; Sed ex his Pater Magister Fuentes habuit 15., quod indubiè est maior illius pars: Igitur &c. Minor vlterius probatur. Nam, quod ex illis duodeuiginti in Aula Capitulari remanentibus habuerit 9., est incontrouersum, vt ex publicatione Scrutinii euincitur. His debent aggregari & adjungi sex Priorum ejectorum vota, vi protestationis ab ipsis factæ, cum ab Aula Capitulari exierunt. Nam tunc *sua Vota vnierunt pluralitati vocum, quæ in electione Prioris Prouincialis pro aliquo fuerint repertæ* [vt manet dictum *in Relatione facti n. X.*] idest, vnierunt ei, in quem plures voces in scrutinio electionis consenserint; Et cum is fuerit Pater Magister Fuentes, eò quod habuerit nouem, & Magister Leyba tantum 7.; Sequitur, quod sex voces Priorum, dictis nouem in scrutinio habitis, debeant vniri, & aggregari; & per consequens habuit quindecim vota.

11. Et huiusmodi sex votorum vnionem, seu aggregationem pluralitati vocum in tali scrutinio esse verificandam, est indubitatum, tum quia tale scrutinium fuit vnicè celebratum, ac proinde in illo à fortiori debebat verificari, tum etiam quia, etsi multa scrutinia fuissent peracta, in primo eorum dicta vnio seu aggregatio esset facienda, & verificanda; Nam dd. Priores in relata eorum protestatione minimè expresserunt, in quonam scrutinio (idest, an in 1. 2. vel 3. &c.) dicta suorum votorum vnio maiori parti vocum esset facienda; sed loquuti sunt absolutè, & simpliciter: ac proinde de primo scrutinio est intelligenda, quia sermo simpliciter prolatus de primo tantum actu est intelligendus ex *l. Boues* §. *Hoc sermone ff. de verb. signific. & ibi* Tiraquel. *limit.* 4. 11. 13. 20. 22. *&* 23. *l. Dotis promissio ff. de jure dotium, vbi DD.* Tum denique, cum Patres Priores indefinitè fuissent locuti, possunt intelligi respectu cuiusuis scrutinii, in quo ex suarum vocum vnione posset resultare canonica electio, quia locutio indefinita æquipollet vniuersali, seu vim habet locutionis genera-

lis,

lis. Ita Glossa *in procmio Decretalium* §. *in judiciis*: atque defumitur ex *C. si Romanorum dist.* 19. *C. quia circa* 22. *de priuil. l. quoties* 2. *Cod. si plur. una sentent.* estq. *Comm.*

8. I. Nec hic modus eligendi per *vnionem*, *&* *agregationem*, seu (loquendo proprius) per *accessum*, est insolitus, vel à jure alienus, quin potius in aliquo casu præuentus, vti est *C. cum in jure* 33. *de electione C. cum expediat* 29. *eod. in VI.* Panormit. *in d. C. cum in jure n.* 5. Innoc. *n.* 4. & alii plures. Imo est opinio communis Doctorum, quod in electione, in qua necessariò non est seruanda forma in *C. quia propter* 42. *de elect.* præscripta (vti in electionibus nostris non seruatur, ex dictis supra *n.* 4.) si, publicato scrutinio, Nemo reportauit maiora suffragia supra medietatem totius Capituli, ac per consequens Nemo euasit canonicè electus, valet tunc accessus minoris partis ad maiorem, vel æqualis ad æqualem; taliter vt ex isto accessu consurgat canonica electio. Quæ opinio etiam est Glossæ in *cit. C. cum in jure vers. consentiat*, quam sequitur Abbas *in C. publicato num.* 7. *de elect.* vbi ait = *Ex hoc infertur secundum Doctores, quod publicato scrutinio possit minor pars accedere ad maiorem: quia ex votis minoris partis non potest sequi electio, & nullum jus est acquisitum nominato: pro hac facit notabilis Glossa C. cum in jure Eod.* idipsum tradunt Fagnan. in *d. C. publicato num.* 37. Layman. *cit. C. quia propter. num.* 10. Pirhing. *lib.* 1. *Decret. tit.* 6. *num.* 176. Reinff. *ibid.* §. 4. *à num.* 99. *ad* 106., *&* §. 12. *qu.* 3. *per tot. à num.* 302. Vviest *ibid. num.* 175. *&* 176. Schmalzg. *ibid* §. 5. *num.* 47. Tolosan. *cap.* 16. *de elect. num.* 15. Siluester. *V. electio I. q.* 7. Passerin. *de Elect. c.* 19. *qu.* 5. *num.* 30. Ioannes de Silua *tom.* 15. *tractatuum tit. de Benef. par.* 3. *q.* 1. *num.* 25. Redo. *de elect. tom.* 1. *par.* 1. *tit.* 6. *sec.* 3. *num.* 112. *&* *tit.* 11. *sec.* 2. *num.* 25. 31. *&* 33. & alii apud ipsos.

II. Huic sententiæ robur, & confirmatio accedit ex *cit. C. cum in jure*. Casus enim istius Capitis fuit, vt sequitur = Ex septem Compromissariis tres elegerunt externum, & tres vnum de ipsis, & Papa decernit istius electionem esse confirmandam, si ipse electioni de se factę consentiat. Vnde in eo casu consensus Electi à tribus numerum Electorum auget, electionem complet, illamque præponderare facit, vt electio dicatur facta à maiori parte Rota *die* 10. *Decemb.* 1677. *decis.* 141. *recen.* coram Pauluccio. Et quid simile habetur in *l. plane ff. quod cuiusq. Vniuersit.* vbi inter duas partes Eligentium Actorem Vniuersitatis, connumeratur etiam ille, qui eligitur, si habuit vocem ad eligendum, & consensit. Et in casu, quo in electione haud sit seruanda forma præscripta in *d. C. quia propter*, posse per accessum augeri Eligentium numerus, necnon Electum à medietate Electorum posse suum consensum alteri pręstitum reuocare, & electioni de se factæ consentire, ac consentiendo augere numerum, & electionem complere, sustinent *cit.* Glossa *in cap. cum in iure vers. consentiat de elect.* Abbas *l. c.* Passerin. *l. c. c.* 22. *q.* 9. *à num.* 40. Reinffest. *l. c.*

Sch-

Schmalg. *l. c.* §. 6. *num.* 59., & §. 10. *num.* 93. Redn. II. *cit.* (qui *tit.* 6. *num.* 114. & *tit.* 11. *num.* 26. affert textum Bullæ aureæ Cæsareæ *c.* 2. §. *fin.*, similem accessum admittentes, & approbantes) & alii apud ipsos, necnon Doctores proximè citati; & sic in recensitis casibus est locus accessui, etiam post præstitum alteri consensum, & quod plus est, respectu electionis de se factæ; multoque melius locum habebit in aliis casibus minori difficultate implexis, vti est præsens Prouinciæ Chilensis, quia *argumentum à maiori ad minus* est validum in jure *C. per Venerabilem* 13. *qui filii sint legit.*

9 I. Relatus modus eligendi per accessum (quod idem indicat, ac per unionem, seù aggregationem) est approbatus, & præscriptus in Constitut. Ord. antiquæ editionis factæ Romæ anno 1625. inqueis 3. *p. c.* 3. §. *Cum autem hac pag.* 91. ita disponitur = Demum Scrutatores, facta prius collatione numeri Vocalium, quem notaverant, ad numerum votorum, seu vocum, quas in bussola invenerint, posteà calculabunt numerum vocum, quas in plures diuersos Patres conuenisse repererint; Si autem in quem piam maior pars Eligentium conuenerit, procedetur ad publicationem, ut infra: si verò in nullum maior Eligentium pars consenserit, nomina illorum trium Patrum, in quos plures consensisse inuenerint, scribant, & primus Scrutatorum pronuntiet alta voce hoc modo, videlicet. *Hi sunt illi tres RR. Patres, in quos plures ex Vocalibus consenserunt, scilicet Reu. Pater N. &c., ex his potestis unum eligere in Generalem Ordinis nostri.* Postea nomina illorum trium Patrum super tribus distinctis bussulis affigent, quas super tabulam, ubi ab omnibus videri possint, reponent, dabunturque singulis Vocalibus singulæ ballotulæ ex panno consutæ in manibus, qui per ordinem ad locum bussularum accedentes, manum, in qua ballotulam tenent, supra singulas bussulas prædictas apponent, & in eius, quem in Generalem totius Ordinis eligere voluerint, bussolam, immittent ballotulam successiuè usquè ad ultimum. Tunc Scrutatores accedant ad aperiendas bussolas, & calculandas ballotulas, quas in singulis earum inuenerint: quod si in nullum illorum trium Patrum maiorem partem Vocalium consensisse inuenerint, reassumptis ballotulis fiat iterum, ut supradictum est, supra iisdem tribus Patribus de nouo ballotatio; nihilominus in hac ultima vice, antequam bussulæ aperiantur, primus Scrutatorum dicat hoc modo.

Reuerendi Patres Electores, qui dedistis vota vestra, & ballotulas vestras illis duobus Patribus, qui non habent plures, estis ne contenti dare illas ei, qui plures habuit in bussulà nomine suo inscripta: vel si plures in paritate vocum conuenerint, ita ut nullus sit, qui plures voces habeat, vos, qui dedistis vota vestra, & ballotulas vestras ei, vel eis, qui minor est, vel minores sunt secundum dignitatem Gradus, vel, cæteris paribus, secundum professionis

pri-

„ *primogenita in Ordine nostro, estis ne contenti dare illas ei, qui*
„ *maior est secundum Gradum, vel professionem*? Et respondente
„ uno (omnibus consentientibus) illo *scilicet qui primum locum*
„ *post Præsidentem habuerit*, hoc modo. *Sumus contenti dare, ut*
„ *requiritis, & eas de facto damus*. Scrutatores tunc accedant ad
„ aperiendas bussulas, & calculando ballotulas, quas in singulis
„ earum inuenerint, & antiquior Scrutatorum, illum, quem sim-
„ pliciter plures ballotulas in bussula suo nomine inscripta, quam
„ quemlibet alium habuisse inuenerint; vel in paritate vocum, an-
„ tiquiorem Magistrum, vel in ordine prius professum, si simul
„ promoti, & Doctorati fuissent, hoc modo pronuntiabit. = Et prosequitur disponendo modum, quomodo dicta electio debet publicari: qui est modus Regularis, & consuetus in Ordine.

II. En textualis prouidentia, & dispositio citatæ Constitutionis antiquæ [quam, etsi latissimam, productius transcribimus, eò quod eius exemplaria sint iam rarissima, ut dictum est supra *n.6.*) ex qua apertè eruitur, in nostris electionibus huiusmodi modum eligendi per accessum minoris, vel æqualis partis ad majorem, vel æqualem haud esse interdictum; quin potius permissum, imo & perscriptum: qua propter vi eiusdem valet fieri electio ritè, & canonicè. Nam ut optimè notant Vviestner *lib. 1. Decret. tit.6. de Elect. num.243.* & Schmalzg. *ibid* §.1. *n.89.* si huiusmodi accessus Constitutionibus Religiosis, vel consuetudine sit permissus, tunc enim omnino licebit accedere, & tali modo numerum augere. Nec relata Constitutionis prouidentia est tantum peculiaris pro electione Prioris Generalis Ordinis, eique circumscripta, licet de ea in particulari loquatur; sed etiam ad electionem Prioris Prouincialis extenditur, estque illi propria, quia eademmet Constitutio 3. *p. c.7.* §. *Igitur Pater Præsidens pag.127.* agens de electione Prioris Prouincialis, postquàm de Scrutatoribus, & Scriba eligendis disponit, immediatè adjungit = *Ex tunc procedetur in electione Prioris Provincialis usque ad eiusdem confirmationem præcisè, & adæquatè, sicut dictum est in capite, de electione Rmi Patris Generalis &c.* Idemque terminis terminantibus dicitur in Constitutionibus nouis. 3. *p. c.9* § 6. *n.5.* Ex quo euincitur, relatam prouidentiam utrique electioni esse communem.

§. III.

10. I. Sed gratis dato, & non concesso, quod sex Priores è Comitiis eiecti in numero Gremialium haud computentur, adhuc electio Patris Ministri Fuentes euasit canonicè facta. Hæc conclusio tantum poterit dubitari ex capite maioritatis Vocalium totius Capituli, videlicet quod non fuerit à maiori parte Electorum: & quod ita sit facta; sequenti medio probatur. Maiori excommunicatione innodatus, & pro tali declaratus, est excommunicatus

catus

catus vitandus, ac per consequens non potest eligere *C. Cum inter. 16. de Elect. C. cum dilectus 8. de consuet. C. Constitutis 23. de Appellat., & C. ad Episcopum unic. Ne sede vacante*; & ibi Glossa *Ver. Maioris*, ac communis, & certa Sententia. Et electio a taliter excommunicato facta est ipso iure irrita, & nulla *argum. d. C. Constitutis C. Decernimus 8. de Sententia excommunicationis & C. Tanta est 18. de excess. Prælatorum*. Estque certum, ut ait Passerin. *de Elect. C. 10. num. 65.* quamplures AA. citans. Et idcirco taliter excommunicatus in numero Electorum non est computandus; sed pro non adiecto habendus ut est indubitatum. Et cum Pater Magister Soto tempore Scrutinii electionis esset excommunione maiori innodatus, & ut talis a Patre Præside Capituli de Iudicum Causarum assensu declaratus (ob notoriam, & contumacem inobedientiam in dictum Patrem Præsidem commissam, & protectionem Religiosis fugitiuis datam ne eidem parerent,) ut constat ex processu pro tali fine facto (Ex processu signat. litt. H) igitur d. Pater in numero Vocalium in Aula Capitulari superstitum non est computandus, & consequenter totum Capitulum ad alios 17. restantes fuit redactum; Et cum ex dictis 17. Gremialibus habilibus, nouem in dictum Patrem Magistrum Fuentes consenserint, ut est certum: Ergo habuit majorem partem Electorum, seu totius Capituli. Nam habuit dimidium votum supra medietatem totius Capituli, quod sufficit, ut dicatur, habuisse maiorem partem Electorum, ac euasisse canonicè electum: ex dictis supra § *I. num. 1. II. & infra §. XX. n. 142., & 143.*

II. Vnde consultò, ac prouidè in Statutis Generalibus Fr. Fr. Minorum Obseruantium *C. 8. Statut. 2.* dicitur = *Electiones omnes fiant per vota secreta; quas canonicas dicimus, cum à majori parte Capituli concluditur; ut si vota novem sint, quinque maiorem partem efficiunt* Et Reiff. *L. 1. Decret. tit. 6. §. 6. q. 1. n. 139.* de dd. Statutis loquens, ait = *provide determinant; quod in electionibus Ordinis maiorem partem quilibet excessus facit, ut si vota 9. sint, 5. maiorem partem constituant*. Ac Sanctorus Misti *in Expositione d. secundi Statuti* ait = *Est doctrina omnium ex Tridentino Sess. 25. de Regul. c. 6. & c. Quia propter de Elect. Et sufficit quilibet excessus, etiam medii voti, ut notavit Portel. V. Electio num. 15. quia si essent undecim vota; sufficerent sex, quæ superarent sola medietate unius suffragii*. Id ipsum generaliter docent præter AA. supra §. 1. *n. 1.* relatos; Passerin. *de Elect. c. 10. n. 67. & c. 19 n. 4. num. 18. Ricard. in 4. distin. 18. a. 7. q. 1. ad 3.* & alii plures. Et huic doctrinæ haud obscurè concordant Constitutiones Ordinis *3. p. c. 2. n. 1. & c. 3. §. 5. n. 5. & c. 10. § 10. numer. 2.* in queis locis agunt de Electione canonica, ad quam dumtaxat exigunt, *ut in aliquem maior pars Electorum conveniat*: & nullibi eam constituunt per excessum, *vel duorum votorum, vel unius cum dimidio, aut unius integri voti*, ut in citatis locis videre licet.

Et

Et cum ad dictam maioritatem constituendam medietas unius voti sufficiat, ut constat ex dictis, ac de se est euidens: sequitur, ut Magister Fuentes, qui ex numero 17. Vocalium nouem suffragia obtinuit, habuit maiorem partem totius Capituli, & per consequens euasit canonicè electus.

III. Nec dictis obstat exemplum in nostris Constitutionibus appositum 3. *part. c.* 2. *n.*1. vbi postquam electiones Canonicas explicauerat per sequentia verba, ibi = *Aliæ sunt Canonicæ, in quibus maior pars Electorum conuenit*: immediate exemplum adiungit = *itaut si Viginti fuerint Electores uni, & eidem vndecim adminus suffragari debeant*. Non inquam obstat, quia huiusmodi exemplum est in numero pari Electorum V.g. 20. in quo maior pars supra medietatem à fortiori debet esse per integrum votum, cum eius medietas sint decem integra vota. Secus accidit in numero impari Electorum, V.g. 17., quia cum eius medietas sint *octo vota cum dimidio*, alia medietas istius voti in numero *nouem* reperta, constituit maioritatem, supra medietatem totius Capituli, sufficientem ad electionem Canonicam. Vnde in materia electionis ex vno ad alium numerum non licet argumentari ob rationem datam.

IV. Nec etiam officit, quod d. Pater Soto cum alijs Gremialibus electionis scrutinio interfuerit, quia fuit necessitate grauissima cogente, & protestatione præmissa. Nam d. Pater adeò temerariè se gessit, vt non obstante dicta excommunicatione, eiusque declaratione, ipsi præuiè intimatis, vt ab interuentu Capituli, & electionibus abstineret; omnia contempsit, & intrepidè cum alijs Vocalibus in aulam Capitularem ad suffragandum se intromisit. Pater verò Præsidens videns illius inobedientiam, & peruicaciam amplius declaratam, ac simul considerans, quod sine grauissimis inconuenientibus, & scandalis, inde haud poterat eum eiicere, quia in sui defensionem attulerat cohortem [scilicet Religiosorum fugitiuorum eius sequacium, qui fores aulæ Capitularis occupauerant]; & si vellet è Comitjs illum excludere, maiora, & lachrymabiliora præanterioribus sequerentur scandala: eius eiectionem suspendit. Sed coram vniuerso Capitulari cætu dixit, dictum Patrem Soto esse excommunicatum vitandum, & idcircò non debere illic venire, nec in electionibus suffragari. Sed quia eum haud valebat eiicere, ob relata motiua, ideo omnino coactè ab eius eiectione abstinebat. Verum, quod pro 1. 2., & 3. vice protestabatur, se non intelligere dicto Patri communicare jus eligendi, eiusque votum tanquam nullum esse habendum, nullique, aut nocere, aut prodesse posse. Qua protestatione præmissa ad electionem Prouinc. processit (Totum constat ex cit. Processu) in qua Pater Magister Fuentes, ex 17. Vocalibus superstitibus nouem vota obtinuit. Et quod in casu, quo inhabilis sine scandalo eiici non possit, cum simili protestatione valeat admitti, sine vitio electionis eius, qui cetero quin habet

habet vota sufficientia, tradunt Laiman *lib. 1. trac. 5. part. 2. c. 2. num. 13.* Lezana *in sum. t. 1. p. 2. c. 12. n. 30.* Reiuff. vbi supra *n. 169.* Innocent. Panormit. Barbos Butr., aliiq. plurimi, quos citat, & sequitur Passerin. *de Elect. c. 10. n. 68., & 69.* Nec electioni Pat. Magistri Fuentes potuit officere d. Patris votum, tum ratione relatæ protestationis à Patre Præsidente factæ, tum etiam quia ex antecedentibus, & consequentibus fuit euidens, dictum Patrem, non pro Magistro Fuentes, sed pro Magistro Leyba fuisse suffragatum.

10. Assertio *num. 7.* stabilita tertiò probatur alio medio. Electio de ineligibili, seu inhabili facta non tenet, sed est ipso iure nulla, vt valet inferri *argum. C. cum inuncetis 7. c. scriptum est 40. C. Nihil. 44 de Elect. c. quanquam 18. eod. in VI.*; & ibidem Glossa. Atq. id expresse tenent Innoc. *in c. Gratum 2. de Post. Prelat.* Siluester V. *Electio I. n. 13.* Bondon. *controu. 30. n. 31., & 33.* Emanuel *Roderic. t. 3. quæst. 34. a. 2.* Lezana *in Sum. tom. 2. V. Electio I. num. 44., & V. Prælatus n. 3.* Reiuff. *lib. 1. Decret. tit. 6. §. 12. n. 298.* Ameno *in pract. Crimin. tit. 2. §. 1. n. 3.*, & alij. Imo & suffragia illi data sunt inutilia, & pro non adiectis censentur, nec in numero votorum computanda. Sic expresse in *C. in Electionibus 2. de Elect. in VI.* Idemque docent Cuchus. *Instit. lib. 4. tit. de Elect. n. 214., & 215.* Lezana *l. c. V. Electio.* Sigil. de Bononia *de Elect. Dub. 29. n. 1., & seqq.* Samuelius *de elect. trac. 1. d. 4. controu. 13.* Passerin. *de elect. c. 18. q. 7. n. 24., & c. 19. q. 4. num. 11.* plures cumulans. Et tunc totum Capitulum saluatur in Vocalibus remanentibus, etsi sit minor pars *c. dudum. 22. c. Bonæmemoriæ 23., & c. congregatio 53. de Elect.*; & ibi Glossa *V. Postmodum.* Ioann. Andr. *n. 6.* Panormit. *n. 5.*, & Layman. *n. 4.* Roderic. *tom. 1. qq. Regular. q. 41. art. 1.* Lezana *l. c. tom. 1. part. 2. c. 12. n. 2.* Schmalzg. *lib. 1. Decret. tit. 6. § 2, num. 21.*, & plures alii. Et cum pro Magistro Leyba notorie ineligibili, & inhabili [ob motiua immediate adducenda] septem Vocales suffragati fuissent: sequitur, ne dum eius electionem fuisse ipso iure nullam, verum dicta septem vota ei fauentia esse inutilia, & pro non adiectis habenda, nec in numero votorum Capituli Computanda; Et his demptis, ad alios Vocales superstites totum Capitulum fuit redactum: & cum isti in Patrem Magistrum Fuentes consenserint; sequitur, ipsum euasisse canonicè electum, presertim cum esset maior pars, imo & fermè totum Capitulum. Et hoc verificatur vi eiusdem scrutinij, vt tenent citati AA. vel si non consentientes in ineligibilem, seu inhabilem, velint, poterant ad nouum scrutinium procedere *d. C. Congregato.* & ibi Abb. *n. 6.* Schmalgr. *l. c.*

11. Ex doctrina data sequitur, quod si totum Capitulum vigintiquatuor Gremalibus constabat (ex dictis supra *num. 3. per totum*), demptis dictis *septem* votis inutilibus, Patri Magistro Leyba præstitis, in numero *septemdecim* dumtaxat restat: & cum

ex his Pater Magister Fuentes habuisset *quindecim*, indubie habuit maiorem partem Capituli, imo quasi totum Capitulum. Si verò totum Capitulum *duodeviginti* tantum Vocalibus constabat (gratis dato, & non concesso, quod sex Priores ab Aula Capitulari eiecti in numero Gremalium non computentur) tunc dictis 7. votis inutilibus deiectis totum Capitulum in numero *vndecim votorum* tantum remansit. Et cum ex his Pater Magiter Fuentes *nouem* in scrutinio habuisset, sequitur, maiorem partem totius Capituli, & ferme totum in ipsum conuenisse. Igitur, quouis modo consideretur Capitulum, dictus Magister Fuentes vi illius scrutinii euasit canonicè electus. Et quod vota, quæ pro non adiectis habentur, debeant à numero Capituli excludi, & tantum residua habilia debeant computari, est adeò certum in iure, & inter Doctores, vt superuacaneum sit proximè dictis quidquam addere.

12. I. Nunc probandum superest, Patrem Magistrum Leyba, tempore Electionis, fuisse ineligibilem, & notoriè inhabilem ad Prouincialatum, quod faciliter ostendetur. Est conditio generalis eligendi ad aliquam Prælaturam, vt sit corpore sanus, & habilis ad exercendum officium, ad quod assumitur, vt ait communis sententia, quamuis, quæ sanitas, & habilitas sit necessaria, nequeat certò statui. Est tamen in hoc certa regula obseruanda, nimirum quod omnis illa infirmitas, aut defectus corporis reddit hominem ineligibilem, & inhabilem, vi cuius ipse est impotens ad exercendum ritè, ac decenter officium illud, ad quod est eligendus. Hæc regula desumitur ex *distinct.* 55., & ex *cap. nisi cum pridem* 10. §. *Alia verò de Renunt. C. ex parte tua* 5. *de Cleric. egrot.*, & alijs, necnon ex Concil. Trid. *sess.* 22. *c.* 4. ibi = *Nec alijs in posterum fiat prouisio, nisi his, qui ætatem, & ceteras habilitates integre habere dignoscantur*. Etiam deducitur ex Decretis Clemen. VIII. pro reformatione Regularium anno 1594. expeditis in Bul. Rom. Cherub. tom. 3. Const. 60. h. Pont. ibi = *Ad officia, Gradus, & Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui possint, & consueuerint Regulas Ordinis, & Constitutiones obseruare, præsertim quæ pertinent ad seruitium Chori, ac vestitum, & victum communem*. Quæ Decreta fuere confirmata, & innouata per Sac. Congregationem Concilii iussu Vrbani VIII. in d. Bul. tom. 4. Const. 26. h. Pont. in Decretis de Apostatis, & Eiectis. Idipsum propugnant S. Thomas 3. *part. q.* 82. *art.* 10. *ad* 3. Panorm. in *d. C. Nisi cum pridem n.* 1., *& C. Inter.* 21. *n.* 2. *de Elect.* Passerin. *de Elect. c.* 25. *q.* 27. *à n.* 316., *& q.* 37. *num.* 441. Menoch. *lib.* 2. *de Arbit. cap.* 6. *n.* 3. Lezana *l. c. tom.* 1. *part.* 2. *c.* 13. *n.* 14. Ameno, vbi *supra* Schmalzg. *l. c.* §. 2. *n.* 16. Reiff. ibid. §. 9. *n.* 234. Sigism. de Bonon. *de elect. dub.* 102., & alij. Et cum Magister Leyba tempore electionis esset notoriè impotens ad ritè, ac decenter (imò & ad absolutè) exercendum Prouincialatus officium; sequitur ad illud fuisse ineligibilem, & inhabilem.

II. Illa

II. Illa propositio minor (cui potissime innititur doctrinæ datæ contractio) non potest conuincenter probari, nisi prius percurrendo aliqua munia, & exercitia ex præcipuis officii Prouincialis cuiusuis Prouinciæ, vt dein inspiciamus, an Magister Leyba ad ea executioni mandanda sit potens, & habilis. Constitutiones Ord. 3. *p. c.* 15. *n.* 5. aliquas obligationes officij Prouincialis per sequentia verba refert = *Ad officium eius pertinet saltim semel in anno* (In Prouincia Chilensi fit. d. Visitatio bis in trienio ab eius fundatione) *omnes Conuentus Fratrum suæ Prouinciæ personaliter Visitare &c. Episcopum, & Dominum Loci, aliosque principaliores Ordinis Amicos visitare debet; cum Fratribus officijs diuinis, & refectioni quoad fieri possit interesse laboret, vt illorum modum viuendi melius consideret, & perscrutetur.* Id ipsum quoad visitationem Conuentuum præcipit Concilium Trident. *sess.* 25. *de Regul. c.* 8. ibi = *Teneantur suæ Congregationis Monasteria frequenter visitare, & illorum reformationi incumbere, & ea obseruare, quæ in Sacris Canonibus, & in hoc Sacro Concilio sunt decreta.* Item æquiualenter dixerat *c.* 1., & repetit *cap.* 20. huius sessionis: necnon *sess.* 7. *c.* 7., & *sess.* 24. *c.* 3., & 9. *de Reformatione*. Et huiusmodi obligatio visitandi Conuentus competit Prouincialibus, non solum ex iure Ecclesiastico, & Municipali Ordinis, vt patet ex dictis; sed etiam ex iure Naturali, & Diuino, vt docet certa, & communis sententia. Et ideo nulla consuetudine valet impediri, vt declaratur *in c. irrefragabili* 14. *de Offic. Ordin.* Imo, etiam est obligatio personalis, vt clare constat ex textibus: & sic non est deleganda, aut committenda alteri, nisi grauissima cogat necessitas, aut qualitas negotij vrgeat, vel conditio personæ suadeat, vt erudité monet Redn. *de Elect. tom.* 2. *tit.* 9. *sect.* 2. *à n.* 57. *ad* 62.

III. Summatim percursis aliquibus obligationibus, & exercitiis Officii Prouincialis, oportet inspicere statum, quo erat d. Minister Leyba Comitiorum tempore. Tunc d. Pater Minister erat propè octogenarius (si non erat reuera octogenario maior), & ita aduersa valetudine habituali grauatus, vt antehac per integrum sexennium, Choro, Refectorio, aliisque assistentiis Regularibus minimè interfuerit nisi rarissimè, & tunc nonnisi leuioribus, & momentaneis. Intra dictum tempus nunquam extra Claustra exiuerat, senio, & infirmitate impeditus. Totum constat ex informatione authentica *ex instrum. sign. litt. B.* 17. testium conformium dictis munita. En veridicus status dicti Patris Magistri Leyba tempore electionis. Et hoc erat notorium, & euidens non solum Religiosis, sed etiam Secularibus indigenis Ciuitatis S. Iacobi, et totius Regni. Et tali statu permanenter positus, poterit personaliter Conuentus Prouinciæ visitare? Minime gentium. Et velle contrarium persuadere, erit risu dignissimum. Et idem seruata proportione dicitur, quoad alias vitæ Regularis obseruantias, & assistentias queis ratione officii interes-

tereffe deberet, ex citatis Decretis Concilii Trident. Clementis VIII. Vrbani VIII., & Conftitutionum Ordinis. Confequenterque erat notoriè inhabilis, & ineligibilis ad Prouincialatum. Nam, qui impedimentis perpetuis præpediuntur, vt Officii exercitia, ad quod funt eligendi adimplere non valent, non folum ad talia officia funt inhabiles, ac ineligibiles, fed fi eligantur de facto, vltra inualiditatem electionis, ex dictis *fupra num.* 10., ipfi in confcientia tenentur officiis renuntiare, aliter haud poffunt abfolui, vt cum D. Thoma, Nauarro, Suario, & aliis, docent Peyrin. *de Relig. Præl. q.* 2. *cap.* 4 *num.* 2., *&* 3. Ameno *in Pract. Crim. tit.* 2. *num.* 3. Lezana *in Summ. tom.* 2. *v. Abbas num.* 18. *v. Prælatus num.* 3., *& v.* Re*nunciatio num.* 8., *& alii*.

IV. Imo refpectu d. Patris Magiftri, etfi vifitatio cuiuslibet Prouinciæ effet difficillima: Prouinciæ verò Chilenfis, effet moraliter]impoffibilis, ob Regni pofitionem, quia Regnum Chilenfe eft nimis extenfum, fed locorum habitatorum commodo, quafi defertum: Conuentus Prouinciæ, & fi numero pauci, in maxima inter fe diftantia fiti: viæ afperrimæ, & eleuatiffimis montibus perenni niue coopertis (qui lingua vernacula dicuntur *Cordillera*, & bis in qualibet vifitatione Prouinciæ debent pertranfiri) incommodæ: & femper peraguntur equitando, & multoties pedefter, ob tranfmiffuum difcrimina: & in Carpento, aut Rheda; nec vnus folus Conuentus poteft vifitari. Ex qua certa relatione, & oculari praxi euincitur, fore impoffibile, dictum P. Magiftrum potuiffe aliquem Conuentum vifitare perfonaliter.

13. I. Et quod fenes decrepiti, & valetudinarii impotentes exercere munia alicui Prælaturæ anexa, ad eam fint ineligibiles, & inhabiles, amplius & clarius roboratur ex *C. Archidiaconum unic. Dift.* 85. *& ibid. Gloff. verfic. Senio: & ex C. Nifi cum pridem* 10. *de Renunt.*, vbi inter fex Caufas, ob quas Epifcopus iam confirmatus, & confecratus poteft licentiam cedendi petere, & Papa confueuit eam concedere ad cedendum, feù renuntiandum Epifcopatui, fecunda numeratur *debilitas corporis, ex infirmitate, vel fenectute procedens*; taliter vt per eam reddatur impotens ad Officium Paftorale exercendum ibi = *Alia vero caufa eft debilitas Corporis, quæ, vel ex infirmitate, vel ex fenectute procedit: nec tamen omnis, fed illa folummodò, per quam impotens redditur ad exequendum Officium Paftorale*. Idem declarauit S. Pius V. per fuam Conftit. *Quanta Ecclefiæ* §. *III. In Bull. Rom. Cherub. tom.* 2. *Conftit.* 58. *b. Pont.* de Beneficiatis, quoad eorum refignationes admittendas. Et fi folùm eft in Epifcopum electus, & confirmatus, & ante confecrationem fuerit effectus modo dicto inhabilis, in totum erit amouendus. Etenim ante confecrationem non dicitur fuæ Ecclefiæ defponfatus, cum per eam recipiat defponfationis annulum. *C. Licet in tantum* 4. *de Translat. Epifc., & DD. comm.* apud Fagnan. *in C. Confultationibus num.* 7. *de Cleric. ægrot., &*

C. Ex

*C. Ex parte num.*2. *eod.* ibid. Panormit. *num.*4. Argirò 16. 8. *Disc ept.*22. *num.*6. Sigism. de Bononia *de Elect. dub.*102. & alii.

II. En debilitas corporis, vel ex infirmitate, vel ex senectute procedens, vi cuius Episcopus iam confirmatus, & consecratus redditur impotens ad officium Pastorale exequendum, est sufficiens causa, vt Episcopatui cedat, & renuntiet (& idem de Beneficiatis proportione seruata dicitur); quamuis veluti verus suæ Ecclesiæ sponsus, illi arctissimo vinculo spirituali adstringatur. Et si solum est electus, & confirmatus, sed nondum consecratus, sufficit vt in totum amoueatur. Igitur potiori Iure impediet, Episcopatum assumere, seu ad illum eligi; & consequenter dicta corporis debilitas præcedens quemlibet reddit ineligibilem, & inhabilem nedum ad Episcopalem Dignitatem, verùm ad quascumque Prælaturas Ecclesiasticas, & Regulares, propter identitatem rationis. Et si illic, vel infirmitas, vel senectus diuisiue (quod est idem, ac quælibet se sola) sufficit ad constituendum quempiam ineligibilem & inhabilem, quid erit in nostro casu, vbi vtraque copulatiuè in Magistro Leyba concurrit? Nam argumentum à maiori ad minus, est validissimum in Iure. *C. Per venerabilem* 13. *qui filii sint legit.*

14. Doctrina tradita amplius roboratur. Inter casus, ob quos, Iuri communi stando, quiuis Prælatus Regularis valet ab officio deponi, sequentes numerantur = Si sit ita senio confectus, vt suo officio haud possit attendere. Glossa *in C. Quoniam aliqui* 1. *de Renunt. in VI. vers. Insufficientem.* Panormit. *in C. Monachi n.*5. *de statu Monach.* Sigism. de Bonon. *de Elect. dub.*102. Lezana *in Summ. tom.*1. *part.*2. *c.*13. *num.*14. & alii = vel si ita ægrotus sit, vt ad officii exercitia sit inhabilis. *C. Alius item* 3. 15. *q.*6. *Glossa citata.* Panormit. Sigism. & Lezana *ll. cc.* quod satis clarè innuitur in Constit. Ord. 3. *p. cap.*15. *n.*14. loquendo de Priore Prouinciali; quando quocumque impedimento ita detinetur, vt Prouincialatus officium exercere non possit = Et similiter in quodam Decreto per Reuerendissimum Nicolaum Serrano vndecima Maii 1705. expedito (*In Regestro Ord., & ex Folio Romæ recusso sign. litt. F.*) quo formam eligendi Rectorem Prouincialem in Prouincia Chilensi statuit. Et si senectus consumata, vel ægritudo inhabilitans ad officii exercitia, est sufficiens, vt Prælatus Regularis ab officio possesso deiiciatur, multò fortius sufficiet, vt aliquis reddatur inhabilis, ne ad illud eligatur, tum *Arg.* de maiori, ad minus, vt manet dictum, cum etiam, ex Doctrina celeberrimi Doctoris Nauarri, qui *l.* 5. *Consilior. de Iudeis consil.*1. *num.*6. dum quærit, quæ probatio sit necessaria ad excludendum aliquem ab aliqua electione, hęc habet = *Respondeo, quod ad impediendam electionem videtur sufficere semiplena probatio arg. Text. sing. in C. Præterea il* 2. *de sponsal. qui probat, propter dictum vnius Testis, & semiplenam probationem impedimenti affinitatis, impediendum esse matrimonium nondum contractum, ne contrahatur; si autem est iam electus, & confirmatus, requiritur plena probatio*

ad reiiciendam, *& exauctorandum*, *arg. cap. Super his de Accusat.* *& pro vtroque dicto facit cap. Quemadmodum de iureiuran:* *quatenus probat, quod turpius eiicitur, quàm non admittitur hospes* = Hucusque Doctor Nauarrus = Huic doctrinæ fauent Glossa *in d. cap. Quemadmodum*. Iulius Lauorius *de Elect. tit.*4. *c.*19. *num.*121. Surd. *decis.*4. *num.*5. Roderic. *tom.*1. *qq. Canon. q.*14. *art.*3. Menoch. *cons.*32. *n.*34. Layman. *de elect. Prælat. q.* 55. Schmalzg. *lib.* 1. *Decr. tit.* 6. *q.* 2. *n.* 17. & alii (Et merito quidem, quia facilius ius acquisitum retinetur, quàm de nouo acquiritur *Leg. Patre furioso ff. de his, qui sunt &c.* & DD. citati) Recensitę doctrinæ adhæsere, & subscripsere in cuiusdam electionis continentia, aliqui Viri doctrina, & dignitate eximi (inter quos Reuerendissimus Hippolytus Montius Generalis Ordinis), vt videre licet apud Lezan. *tom.*4. *Consi.*13. *num.*89., *&* 90.

§. IV.

15. Duobus præcedentibus §§. *à num.*7. vsque nunc abundè est probatum, electionem Patris Magistri Fuentes fuisse ritè, & Canonicè factam, tum ex capite accessus suffragiorum sex Priorum iniustè è Comitiis eiectorum: tum ex inhabilitate Patris Magistri Soto ad suffragandum, tum denique ex capite ineligibilitatis, & inhabilitatis Patris Magistri Leyba alterius coelecti. Sed licet gratis daremus (quod minime concedimus) dictæ electioni ex dictis capitibus Canonicitatem defuisse, tamen fuisse validam, etsi non canonicam, & qua talem sustinendam, videtur innegabile. Nam vtriusque electionis differentia, *canonicæ* videlicet, *& non canonicæ*, statuitur per Constitutiones Ordinis antiquæ, & recentioris editionis, vt manet pręmissum supra §. 1. *num.* 1. Et quod ibi, in casu gratis dato fuerit electio non Canonica, euidenter constat. Quia hæc ex relatis Constitutionibus loco citato, habetur pro illo, in quem plures voces consentiunt, etsi medietatem totius Capituli non excedant. Et cum in hypotesi gratis permissa, in Patrem Magistrum Fuentes plures voces conuenerint, quàm in Magistrum Leyba, & alios suffragia in scrutinio habentes, vt constat *ex Relationę Facti num.*11.; sequitur, Magistrum Fuentes euasisse electum non canonicè.

16 Non diffitemur, electionem Prioris Prouincialis, regulariter loquendo, debere esse canonicam, vt non obscurè innuitur ex prouidentia Constitutionis antiquæ superius posita §. II. *num.*9; & expressè in Constitutione recentioris editionis 3. *p. c.*3. §. 5. *num.*5. per sequentia verba = *Si verò in Nullum maior Eligentium pars consenserit, iterum procedetur ad scrutinium, quousque electio fit canonica.* Et licet ibi de electione Prioris Generalis Ordinis loquatur, electioni tamen Prioris Prouincialis aptatur, ex præscripto eiusdem Constitutionis 3. *p. c.*9. §. 6. *n.*5. & manet dictum *citat. n.*9. *in fine*. Verum dd. Constitutiones recentioris editionis, nec ibi, nec alibi disponunt, quid faciendum sit, cum post multa

ite-

iterata scrutinia, adhuc canonica electio haberi nonpotest: nec minùs aduertunt quid exequendum, si, ob imminentem temporis lapsum, ad aliud scrutinium procedi non valet: nec denique decernunt Electionem aliter factam non tenere, aut irritam esse declarantur Quapropter abest legale fundamentum, ut dictam electionem nullam esse statuamus: Præsertim, cum dictæ Constitutiones, quando aliquid decernunt cum irritatione actus contrarii, semper clausulam irritantem apponunt, præciuè in materia electionis, ut videre licet 3. *p. c.* 2. *num.* 3., *c.* 9. §. 2. *nu.* 2., *&* §. 6. *nu.* 1. Igitur dùm hic clausulam irritantem non afferunt signum est, talem Canonicitatem non esse essentialem, aut substantialem electioni Prioris Provincialis, ac per consequens posse electionem sine illa stare, ut in simili inquit Lezana *tom.* 4. *Constit.* 5. *num.* 13. Nec in re tanti momenti debemus sine expressa lege dictæ electionis invaliditatem, & irritationem adstruere; aut in præsenti, & similibus casibus, eam a Comitiis nostris proscribere; sed potius pro eius validitate, & subsistentia in linea *electionis non Canonicæ* stare, cum hoc modo, & variis inconvenientibus, hominumq; malitiis ocurratur, & ab scrupulorum laqueis conscientiæ liberentur. Sic in ordine Minorum in electione Prouincialis, ubi Vocales discedant, Electus a maiori parte numero eligentium, licet non sit maior pars Cap: sine exceptione confirmari debet *Clement. exiui de paradiso* 1. §. *Demum de V. S.*, *& ibi Glossa*, *& cum Panormit.*, *& Siluestro*, *Passerin. de elect. c.* 33. *q.* 10. *num.* 127. Quod licet pro dicto Ordine fuerit statutum, ceteris Regularium Ordinibus competere, probat Barbosa *leg.* 1. *Vol.* 9. *num.* 35., & ex eo *Passerin. loc. cit. qu.* 11. *num.* 148. ob rationes apud eos videndas.

17 1. Et ad ita discurrendum haud leue nobis fundamentum suggerit, quædam resolutio emanata pro Prouincia Chilensi sub die 16. *Iunii* 1735. à Reuerendissimo, & Illustrissimo Schiaffinati, una cum sua Congregatione. Cum dicta Prouincia per suum Procuratorem quædam dubia electionem Rectoris Provincialis concernentia eidem resoluenda exhibuisset, *num.* *V.* sequens proposuit = *Quintum, si elapso assignato tempore* (nempe 48. horarum, seu duorum dierum naturalium) *nondum Canonica Rectoris Prouincialis habeatur electio, quid erit agendum, ut de præfato Superiore Provinciæ prouideatur?* Cui dubio ita fuit responsum = *Ad quintum: Omnino electionem esse peragendam intra illud biduum: & si contingat, quod non succedat electio Canonica per suffragia, uno saltem supra medietatem excedente; tunc qui plura suffragia habuerit censeatur electus, & in paritate suffragiorum, dignior, prout disponunt Constitutiones* 3. *part. cap.* 2. *num.* 1. *Constat ex Regesto Ordinis, & ex folio Romæ impreso sig. litt. F.*, Ecce, in Rectoris Provincialis Provinciæ Chilensis electione est locus electioni non Canonicæ, casu, quo canonica non habeatur electio. Istæch prouidentia fuit in Provincia anno 1750. ad praxim redacta; Nam cum tunc de

mense Iulii Pater Magister Fr. Prosper Pozo Prior Provincialis è vita migrasset; fuit convocata Capitularis Congregatio pro eligendo Rectore Provinciali, & cum eidem duodecim Vocales interessent, in primo, & unico scrutinio habito, sex in Patrem Magistrum Soto consenserunt, & alii sex in Magistrum Bergara, & hic, qui erat primus Scrutator, confestim electionem publicauit pro Magistro Soto, eò quod in paritate Votorum, esset gradu Magisterii antiquior. Et licet Magister Quiroga, qui tanquam ex Provincialis immediatus electioni præerat, dictæ publicationi obstiterit, intendens ut ad aliud, vel alia scrutinia procederetur (si fortè haberetur electio canonica), cùm ad ea tempus sufficientissimum restaret: tamen Magistri Leyba, Bergara, & alii in d. Magistrum Soto consentientes noluerunt acquiescere, & illum in Rectorem Provincialem acclamarunt. Magister Quiroga conticuit, ut tumultuationibus iam incipientibus obuiam iret.

II. Ex recensita Dubii quinti Resolutione, & ex relato Facto sequitur, quod in electione Rectoris Prouincialis Provinciæ Chilensis est locus electioni non Canonicæ, si non succedat Canonica electio: & parimodo videtur discurrendum in electione Prioris Prouincialis. Primò, quia ipsummet per dictam Resolutionem, in utraque electione videtur declaratum, & consequenter utrobique est æquè ratiocinandum; Nam sicut electio Prioris Provincialis, ex præscripto Constitutionum *loco cit.* debet esse Canonica, ita pariter electio Rectoris Provincialis, ex Decreto Reverendissimi Serano *cit. supra num.* 14. ibi= *Ille vero, qui de istorum Patrum* [nempe, qui debent ad eius electionem concurrere] *consensu canonicè eligatur, veluti verus, ac legitimus Rector Provincialis habeatur, eique omnes cum obsequio parere, & reuerentiam exibere teneantur*. Igitur, sicut in ista secunda declaratur, esse locum electioni non Canonicæ, dum non succedit canonica, etiam in prima censetur declaratum ex vulgatis Iuribus; nempe=*Vbi est eadem ratio &c.*: *In æquiparatis, seu similibus &c.*=Secundò, quia iuxta tritum Iuris axioma= *Subrogatum sapit naturam, & qualitates eius, in cuius locum subrogatur Leg. si eum §. qui iniuriarum ff. si quis caut.* ubi Baldus, Bartol., Angel., & alii. Et cum Rector Provinciæ sit in locum Prioris Provincialis subrogatus, eius electio naturam, & qualitates illius debet sapere, & imitari. Hoc non obstante, in electione Rectoris Prouincialis, est locus electioni non Canonicæ ex dicta Declaratione: Igitur etiam in electione Prioris Prouincialis.

18 I. Ex dictis *a num.* 7. usque nunc liquido elicitur, electiones Patris Magistri Leyba à Contraris figuratam, & nimio ardore defensam esse omnino insubsistentem, & planè commentitiam; Quapropter nescimus, & nequaquam capere valemus, quo oestro, aut atra bili percitus Pater Magister Soto, audita scrutinii publicatione (vi cuius Pater Magister Fuentes *nouem* obtinuit vo

ces

ces, & Pater Magister Leyba *septem*) animosè, ac fidenter protulit, *electionem stare pro d. Magistro Leyba* cuius effatum ipsius Gregales tanquam oraculum excipientes, dictum Magistrum Leyba in Provincialem electum adoptarunt, & ad exequendum ea, quæ in *Relatione Facti num. XI.* sunt dicta, resolutè transierunt. Sed ab his Patribus sciscitamur; qua electione dictum Magistrum Leyba electum vultis, & sustinere contenditis? electione videlicet canonica, vel non Canonica? Quia Constitutiones Ordinis 3. *part. cap.* 2. *num.* 1. nullam aliam electionis differentiam agnoscunt. Non prima: quia ista indispensabiliter exigit maiorem partem Electorum, seu totius Capituli [ex dictis supra §. 1. *nu.* 1.] quam d. Pater Magister minime habuit; Nam, vel totum Capitulum 24. Gremialibus constabat, computatis sex Prioribus iniustè ex Aula Capitulari eiectis (qui meritò debent computari, ob dicta supra §. 1. *nu.* 3.) vel his demptis, solum ex aliis 18. ibi superstitibus? Si primum, ut maiorem partem totius Capituli haberet, in illum 13. adminus consentire debebant. Si secundum, ad minus *decem*. Et cum d. Pater Magister tantum *septem* vota habuisset (gratis permisso, quod votum Patris Magistri Soto sit computandum) evidenter sequitur, maiorem partem haud habuisse totius Capituli, quocumque modo istud sumatur, & per consequens, nec prima electione, videlicet canonica, fuisse electum.

II. Nec item fuit electus secunda, nempe non canonica: quia hæc, licet non exigat plures voces supra medietatem totius Capituli, eas tamen poscit supra alium, vel alios, vi illius scrutinii Coelectos, ex dictis §. 1. *nu.* 1. Et cum d. Magister Leyba plures voces non habuerit præ Magistro Fuentes vi eiusdem scrutinii coelecto, sed potius pauciores, ut sæpius est dictum: Sequitur, ut nec secunda electione, nempe non Canonica, evasisse electum & consequenter nulla. Et si aliam electionis differentiam, præter duas relatas, invenire potuistis, eam indicate, & nos edocere dignemini, & meritò usurpabimus verba *C. si habes l.* 24. *q.* 3. ex S. P. Augustino deprompti = ibi = *Si habes de hac re sententiam certis rationibus, vel scripturarum* [scriptorum] *testimoniis exploratam, nosque docere digneris.*

19 Sed cùm hæc omnia sint adeò obvia, & trita, ut ea nescire, aut non percipere, esset in luce meridiana cæcutire, suspicari haud debemus, dictos quinque Magistros latere; Quapropter eos alicui fundamento saltem apparenti innixos fuisse, præsumere debemus. Sed quale illud fuerit, nescimus, sed ex factis præteritis, præsentis fundamentum odorari valemus. Anno 1728. in casu quasi identico, quatuor Patres Magistri (ex quinque qui nunc sunt in Causa] electionem a minori parte electorum factam, sustinere voluerunt, & tanquam legitimam, ac canonicam totis neruis defendere sequenti fundamento. Dicebant enim, quod licet eorum pars esset minor numero votorum

præ parte contraria, tamen erat *sanior*, ratione maioris Zeli, & meriti Electorum: & idcircò nominationem, seu electionem ab illis factam, tamquam ritè, ac Canonicè celebratam fore subsistendam. Hoc fuit tunc præcipuum suæ intentionis fundamentum. *Constat ex Allegatione Matriti typis edita à Magistro Aroya*. & denuò tam futili, ac umbratico fundamento nugari prætendunt (ut constat ex suplici libello a Patre Magistro Leyba die tertia Februarii Excellentissimo Gubernatori Regni exhibito, ut illi tamquam Provinciali legitimè electo impartiretur auxilium = *In Processu autentico Regii Tribunalis pag.* 100.] quapropter expediens erit simili effugio occurrere, & viam præcludere.

20 Quod dd. quinque Magistrorum pars sit sanior (ob excessum Zeli, meriti &c.) est difficillimæ probationis, quamuis ipsi per fas, aut nefas persuadere conentur. A cuius rei indagine consultò abstinebimus, ne in collationes, uel odiosas, uel a fraterna Charitate alienas prolabamur. Sed gratis dato, & non concesso, quod eorum pars sit sanior, ratione maioris Zeli, & meriti, quid inde? Nunquid ob hoc, eorum pars, etsi minor numero votorum, pro electione facienda præualebit? Minime gentium, quia minor pars nunquam ad electionem sufficit, quamvis sit prudentissima, & sanissima, nisi simul sit major. Vnde Iura antiqua ad electionem exigebant *maiorem, & saniorem partem ut sunt C. Quia propter 42. C. Cumana 50. C. In Genesi 55. C. Ecclesia vestra 57. de electione, cum Concordant*. Et illa duo coniunctim, & copulatiuè requirunt, & primò *maioritatem* exigunt, quàm *sanioritatem*, ut textus legenti patebit. Idipsum tenent Abbas in *d. c. Quia propter num.* 7. Barbosa *in d. cap. Ecclesia num.* 5., *& c. coram num.* 3. *eodem* Suarez *de Religione tom.* 4. *trac.* 8. *lib.* 2. *c.* 5. *num.* 22. Passerin. *de Elect. cap.* 14. *qu.* 3. *num.* 19. *& cap.* 19. *qu.* 5. *num.* 21. Mirand. *in Man. Prælatorum tom.* 2. *p.* 23 *art.* 17. Reinff. *lib.* 1. *decret. tit.* 6. § 6. *num.* 141., *&* 146., & alii, quos copiose congerunt Barbosa, & Passer. *ll. cc.* Et electio facta a minori parte, & si saniori, taliter est inualida, ut per subsequentem aliorum consensum nequeat convalescere, aut ratificari *C. Auditis* 29. *de Electione* & ibi Abbas *num.* 11. Reinff. *l. c. num.* 141., *&* 145. Lezana *tom.* 4. *consil.* 13. *dub.* 2. *num.* 17., *& comm. DD.*

21 Vnde, licet antiquitus, ad electionem esset necessaria major, & sanior pars, ut constat ex citatis Iuribus tamen, post Decretum Concilii Tridentini *Sess.* 25. *Cap.* 6. *de Regulor.*, ad electiones Prælatorum Regularium sufficit maior pars, quin agatur de sanioritate; Et ratio est, quia eo ipso quod Concilium *loc. cit.* præcipiat, *ut electiones Superiorum fiant per vota secreta, ita ut singulorum Eligentium nomina nunquam publicentur* prohibet etiam disquisitionem, seu collationem zeli ad zelum, & meriti ad meritum, quæ fiebat antiquitus ad sciendum, si sanior pars elegerit, cum aliunde id dignosci non posset, nisi publicatis Eligentium nominibus, & proqueis suffragium tulissent. Et sic,

nunc

nunc tantum fit collatio numeri ad numerum, ut sciatur, quod major pars elegerit. Vnde nunc, *maior pars*, censetur *sanior*: & si Electus nominetur *a maiori parte*, etiam censetur nominatus *a saniori*, & canonicè electus, iuxta *C. Ecclesia vestra* 57. ibi = *Cum ubi maior numerus est, zelus maior præsumatur* = *de Electione C. Cum in cunctis* 1. *de his, quæ fiunt &c. Leg. Quod maior* 19. *ff. ad Municipal.* Ac ita propugnant Fagnan. *in dicto C. Cum in cunctis num.*4. Barbos. *de Canon. & Dignit. C.* 38. *n.*8. Suar. *l. c. tract.* 16. *C.*5. *num.*13 Castellin. *de Elect. C.*5. *nu.*49. Tabiena *in Summ. V. Electio I. num.*19. Mirand. *l. cit.* Lezana *in Summ. tit.*1. *par.*1. *C.*15. *num.*10. *& par.*2. *C.*12. *nu.*2. *&* 28. Reinff. *loc. cit. num.* 136. *&* 137. Pirhing. *lib.* 1. *Decr. tit.* 6. *num.*189 Schmalzg. ibid. §.5. *num.*49. Passerin. *loc. cit. C.*14. *num.* 19. *& C.*19. *num.*7., & alii plurimi. Et sic in Regularium electionibus nunc, nulla alia collatio solet fieri, quam numeri ad numerum, Passerin. Reinff. Pirhing. Schmalzg., & alii ex citatis.

22 Doctrinæ datæ omninò concordant Constitutiones Ordinis 3. *part. C.*2. *num.*2. ubi terminanter relatum Concilii Tridentini textum referunt, eique adhærent. Imo tam ibi *n.*1., quàm C.3. §.5. *num.* 5., *& C.*10. §.10. *num.*2. ubi agunt de electione Canonica, pro ea tantùm exigunt maiorem partem Eligentium, quin unquam addant, etiam debere esse saniorem: quod si ita voluissent, additione unius solius verbi, facile expressissent: *arg. C. Inter corporalia* 2. *de Translat. Episc. & C. Ad audientiam* 12. *de Decim.* Præsertim cum *dict. C.* 3. §.5. *num.*5. non solum loquantur expresè de majori parte Electorum ad electionem canonicam necessaria; sed etiam de collatione *numeri ad numerum* pro tali fine instituenda, & non est credendum, alterius collationis *zeli ad zelum*, *& meriti ad meritum* obliuisci, si eam requisitam judicasset. Vnde si aliunde evidenter non constet de indignitate seu ineligibilitate in scrutinio electi, ea quoad Regulares valebit electio, quæ *à majori parte Capituli numero* (*nulla zeli, vel meriti collatione, vel consideratione habita*) *fuerit celebrata*: prout de electionibus Ministrorum Provincialium Fratrum Minorum de Observantia dicitur in *Clement. Exivi* 1. §. *Demum de verb. signif.*, & licet hoc pro dicto Ordine fuerit statutum, cæteris Regularium Ordinibus competere, probat Barbos. *l. c. Vot.*2 *n.*25., & ex eo Pascr. *de Elect. C.*33. *qu.*11. *n.*148.

23 In uno tantùm casu electio a minori parte facta tenet, & est, quando major pars scienter elegit inhabilem, seu indignum, ob jura & momenta superius *num.*10. *&* 11. adducta; & ibi videnda. Sed hæc doctrina Parti aduersæ favere non potest pro præsenti casu, nec ei est adaptabilis. Primò ob notoriam ac evidentem idoneitatem, & habilitatem ad Provincialatum alterius concurrentis, nempe Patris Magistri Fuentes, in quem major pars consenserat. Secundo quia nec ipsi Patres Magistri contrarii possunt justè, ac licitè dicto Magistro Fuentes aliquam indigni-

tatis notam objicere, cum acriter pugnassent, ut Comitiorum Præsidentiam admitteret, ac in eis Præsidio fungeretur officio, ut manet dictum in *Relatione Facti num. III.* Et non fit credibile, dictos Magistros velle, Religiosum indignum, seu inhabilem præsidere Comitiis, in illisque Reverendissimi Patris Nostri Generalis vices gerere, ac locum tenere. Tertio quia in Provinciis Indiarum, ut quis valeat eligi ad aliquod Officium; sufficit, quod tempore electionis sit *in quasi possessione saltem probabili vocis passivæ respectivè ad dictum Officium*, ut declaravit Reverendissimus Valvassorius, & confirmavit Ven. Innoc. XI. per Const. incip. *Exponi nobis super* (In Bullar. Rom. novissimo Tom. 8. Const. 88. pag. 144.) 8. *Augusti* 1680. Quam, dictum Magistrum Fuentes ad Provincialatum ad minus habuisse, nec obstinacior pervicacia inficietur [vide dicta supra *num.* 7. *I.*] quapropter major pars vocum, quæ in illum consensit, haud potuit deperdi, ut minor pars adversa prævaleret.

§. V.

24 Licet Assertio §. *II. numer.* 7. de canonica electione Patris Magistri Fuentes in Priorem Provincialem Provinciæ Chilensis stabilita, à dicto numero usque ad decimum quartum inclusivè sit sufficienter probata, ac Iurium, doctrinarum, & Doctorum varietate fulcita: his non obstantibus expediens judicamus, nonnullas difficultates assertioni, ejusque probationibus objicibiles, proponere, & resolvere, ut earum responsione asserta veritas validius comprobetur, & quod ejus asensum impediret, penitus removeatur.

25 Objicient primò. In Constitutionibus Ordinis ultimæ editionis Romanæ anno 1686. factæ (quæ communiter *Constitutiones novæ* appellantur), minimè invenitur dispositio illa superius relata §. *II. num.* 9., ex antiquis Constitutionibus anni 1625. editis transcripta; Et cum illæ Constitutiones sint, quæ in Orbe Augustiniano observantur, non verò istæ antiquæ editionis, in queis dumtaxat recensita dispositio invenitur; Igitur prædictæ dispositioni non est locus, nec præsenti electioni valet suffragari. Item per dictas Constitutiones novas, anteriores restant antiquatæ, & magna in parte derogatæ, cum Leges, seu Constitutiones posteriores, anterioribus derogent *ex Cap. Licet* 1. *de Constit.* Igitur pro casu controverso nil conducit, dictam providentiam in antiquis Constitutionibus reperiri.

26 I. Objectioni respondetur primò. In Provincia Chilensi, & cæteris Americæ; præsertim Meridionalis, haud observari dictas Constitutiones recentis editionis factæ anno 1686., sed solum antiquas anno 1625. typis datas, in queis relata dispositio integrè invenitur: quapropter pro præsenti casu optimè a nobis adducitur, cum ei plenè suffragetur. Motivum autem, cur dictæ Provinciæ hucusque in antiquarum Constitutionum observantia

per-

perstiterint, est. Illicò ac dictæ Constitutiones ultimæ editionis prodierunt, fuit ex parte dictarum Provinciarum interposita legitima supplicatio ad Reverendissimum Patrem Generalem, ut super earumdem admissione, & observantia supersederet, quia cum in dictis Constitutionibus ultimæ editionis essent quamplures dispositiones antiquioribus additæ, & notabilem variationem inducentes; consultò Provinciæ timuere, ne ex tanta novitate, & varietate, dissidia frequentia, & perturbationes orirentur: nam quanto plus dictæ Provinciæ sunt ab Europa dissitæ, & difficilior est aditus ad Supremum Religionis Præsulem, tantò est facilius, ut illic suscitentur discordiæ, & difficilius coerceantur. Et quod relata præjudicia ex dictis novitatibus & variationibus meritò timere deberent; est indubitatum, quia *omnes mutationes sunt periculosæ*, ut habet aphorismus Hipocratis apud Navarr. *Tract. de Reddit. Eccles. monit.* 12. *num.*1. & Reinff. *lib.*1. *tit.*2. §.15. *num.*361. *&* §.19. *num.*488 Et novitates plerumque querelas, & discordias parturiunt, ut dicitur in *Extrav. Inter cuncta* §. *Sane de Privileg. & C. Cum consuetudinis* 9. *de Consuet.* Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancell. gloss.*8. *num.*93. *&* 94. & alii passim. Et Provincias potuisse ex rationabili causa dictum remedium interponere; est communis, & certa sententia apud Reinffest. *loc. cit.* §. 6. 9. 2. *num.* 143.

II. Et quod stante dicto supplicationis remedio per Provincias interposito, eis licuisset usum novarum Constitutionum suspendere, & in antiquarum observantia persistere est in controversum, *argum. C. Si quando* 5. *de Rescript.* juncta Glossa, quam Bald. Innoc. Felin. & alii sequuntur; ac etiam *argum. Constitutionis Ordinis* 3. *part. C.*5. *num.*3. Idipsum propugnant Rodericus *tom.*1. *quæst. Canon. qu.*6. *art.*7. *&* 8. Bonacin. *de Legib. quæst.*1. *punct.*4. *num.*41. 42. *&* 43. Heriner. *part.*2. *Sum. Theol. disp.* 3. *de Legib. num.*116. Diana *part.*1. *tract.*10. *res.*6. Reinff. *loc. cit. num.*143. *&* 145. Paz. *in Cons. Moral. class.*1. *consil.*62. *nu.*113. [ubi inquit, in similis facti contingentia id executum fuisse in sua Philipinarum Provincia Ordinis Prædicatorum] *& Comm. DD.* Et si Princeps Supremus, aut Religionis Præsul, audita Populi, aut Provinciæ supplicatione taceat, neque ulterius ad ejus observantiam adigat, tacitè supplicationi consentire, & annuere censetur, legemque revocare, aut suspendere. *Nam, qui tacet, consentire videtur. Regul.*43. *Jur. in VI.*, ubi Barb. *num.*5. Dinus *num.*1. Reinff. *num.*5. & alii. *Et argum. C. Continebatur.* 2. *de his quæ fiunt a Prælatis C. Error.*3. *C. Consentire* 5. *C. Nihil illo* 6. *dist.* 83. *& leg.* 2. §. *Voluntatem ff. solut. matrimon.* Et tacens per longum tempus juri suo renuntiare præsumitur, ut per Rotam & DD. afferunt, Mascard. *de probat. vol.* 3. *Conclus.* 1263. *num.* 27 & Lezana *tom.* 4. *consil.* 39. *num.* 26. Quia si animum haberet ulterius obligandi ad Legis, vel Constitutionis executionem, deberet ipsum declarare, insistendo Legi, Subditosque ad ejus observantiam cogendo, & in transgressores pænas statuendo.

Ita

Ita Bonacin., & Diana *ll. cc.* Palao *de legib. disput. 1. punct. 13. num. 15.* Reinff. *loc. cit.* §. 6. *num.* 146. Lezana *tom. 2. V. Leges Regul. num.* 18. & 19. Quod indubie evenit in Provincia Chilensi (& ni fallimur in reliquis Meridionalis Americæ]: nam dicta supplicatione interposita, nil unquam per Reverendissimos Patres Generales fuit resolutum, & idcircò Provincia in Constitutionum antiquarum observantia perstitit, & usque modo permanet.

III. Et hujus assertionis est evidens probatio. Quod prima exemplaria Constitutionum ultimę editionis factæ anno 1686 tantum fuere visa in Provincia Chilensi anno 1724., & ex tunc fuerunt usu receptæ quoad omnia illa, in queis ab antiquis non discordabant, necnon quoad declarationes aliquorum textuum Constitutionis antiquæ, eò quod declarationes novam legem non afferunt, sed męram legis præexistentis explicationem continent, & idcirco retrotrahuntur ad tempus conditæ legis, quam declarant, atque huic a principio jam in esse, & in fuisse, & juxta ipsam lex semper fuit intelligenda. Glossa *in C. Sicut nobis 5. Vers. Respondemus de Verb. signific. in VI.*, & desumitur ex *Auth. de raptis mulieribus* §. *fin. Collat.* 9., & concordat textus in *L. Ita fidei* 40. *de Iure Fisci*, & *D. D. Comm.*

27. Relato motivo supplicationis a Provinciis interpositæ, accessit aliud relevans, & maximi ponderis, ut dictæ Constitutiones novæ non fuissent usu receptæ a Provinciis Americæ, & hoc fuit quædam Scheda sub die 19. *Augusti* 1690., *Const. ex Copia auth. d. Sched. sign. lit. G.*, a Rege Catholico emanata, prohibens usum dictarum Constitutionum in omnibus Provinciis Americæ quousque Supremo Indiarum Concilio exhibeantur, & habeant *Regium exequatur* (Vulgo el Pase vel Consefo) : & dicta Scheda per Ministros Regios utriusque Americæ, omnibus illarum partium Provinciis fuit illicò intimata, ut ei obtemperent, & usque modo nescitur, an aliquid contrarium sit resolutum, quo hujusmodi impedimentum auferatur; Et etiam ob hoc motivum illæ Provinciæ [præsertim Meridionalis Americæ] in antiquarum observantia usque modo permanent. Et notanter tam hic, quàm supra, additum est, *præsertim Meridionalis Americæ*, quia non diffitemur, quod in Provinciis Americæ Septemtrionalis, vel quia proximiores Provinciis Hispaniæ, vel ratione alternativæ cum Religiosis Hispanis, usus dictarum Constitutionum ultimæ editionis sensim increbuit; Sed a dictis Religiosis Hispanis illuc motivo alternativæ transeuntibus conjicimus dictarum Constitutionum observantiam fuisse introductam, quod non accidit in aliis Provinciis ab Hispania remotioribus, & nec est dicta alternativa, uti est Provincia Chilensis.

28. I. Objectioni supra *numerum* 25. positæ respondetur secundò. Quod licet gratis daremus, dictas Constitutiones novas fuisse usu receptas in Provincia, in eaque observari; ex hoc tamen

men non sequitur; per eas antiquis Constitutionibus esse derogatum, & præsertim *Dispositioni supra §. II. num.9. positæ*. Primò quia posterior Lex, seu Constitutio solum derogat anteriori directè sibi contrariæ, & sic nova Constitutio non tollit antiquam, nisi sibi directè contrariam. *Leg. Sed & posteriores ff. de Legib.* Concordant *Lex non est novum 25. & seqq. ff. eod.*, & expressè, ac plurièsGlossa *in C. Licet Romanus 1. in VI. Licet Iura. Priorem. Revocare. Noscatur. de Constit, in VI.* Idemque tenent Suar. *de Legib. lib.6. cap.27. num.3.*, Lezana *tom.2. Ver. Leges Regul. num.53.*, Silvester. *Ver. Lex quæst. 26.*, Schmalzg. *Lib.1. Decret. tit.2. §.8. num.52.*, Reinff. ibid. *§.17. num.419.*, *& 420.*; *& §.19. num.491.*, *& 492.*, *& Comm. DD.*; Et non sufficit quævis præsumpta, aut merè apparens contrarietas, sed debet esse vera, clara, & expressa, & aliunde, quod Constitutio posterior cum priori nullatenus possit conciliari, & ad concordiam reduci; Nam si aliquo modo possunt conciliari, & concordari, nunquam admittendus est sensus correctorius, *C. Cum expediat.29. de Elect. in VI. L. Vbi pugnantia 188. ff. de Regul. Iur.* Alexand. *consil.141. num.4. & 5. lib.2.*, Surdus *decis.226. num 3.*, Gravetta *cons.70. num.5.*, Passerin. *de Elect. cap.3. quæst.1. num.15.*, Reinff. *loc. c. num.419. & Comm.*; Vnde tantùm quando inter Leges, seu Constitutiones reperitur aliqua manifesta contrarietas, non admittens congruam conciliationem, tunc ultimæ Legi, seu Constitutioni est standum, Ita *unanimis, & certa Doctorum sententia*, ut ait Reinff. *l. c. in Proæmio §.12. num.211.*

II. Secundò, quia lex posterior non derogat priori, nisi de illa expressam faciat mentionem. Ita Glossa in *C. Constitutio 41. de Electione in VI.*, ubi in Casu ait = *Nam nos non debemus antiqua Iura dicere correcta, nisi expressè in novis Iuribus correcta inveniantur*; Barbosa *in C. Eam te de ætat. & qualit.*, Spinus *in Specul. Testam. Gloss. 30. num.10.*, *& DD. Comm. in Leg. Omnes populi ff. de Iure iuran.*; Quapropter *in Regula XI.* servanda in Legum interpretatione, aut correctione, dicitur = *Non censetur plus de priori lege mutatum, quàm est expressum in posteriori.* Et Leges, seu Constitutiones ita debent accipi, ut minus corrigant, quàm fieri possit; seu tantum corrigant, quantum loquuntur. *L. Si vero §. De Viro ff. solut. matrim.*, Rota *dec.724. n.16. part.1. divers.*, Sigismund. *de Elect. dub.7. num.1.*, Lezan. *tom.1. part.1. cap.15. num.87.*, & alii: Vnde quando Leges, seu Constitutiones recentiores, nec sunt directè contrariæ prioribus, nec de istis expressam faciunt mentionem, hæ per illas revocatæ haud censentur; quin potius mutuò quoad intelligentiam se iuvant ex *cit. LL. Sed & posteriores, Non est novum, & L. Præcipimus 32. §. fin. C. de Appell.*; Et ex duplici Glossa, Iassone, Bartholo, Tusco, & aliis, tenet Reinffest. *leg.1. tit.2. §.17. num.420.*

29. I. Ex doctrinis hucusque pro secunda responsione allatis manifestè evincitur, per Constitutiones novas minimè antiquis derogari, quia si a Prologo earum fronti apposito usque ad calcem accuratè evolvantur, nil in eisdem reperietur, vel directè contrarium, vel clarè, & expressè correctorium antiquarum, quamvis plurima sint illis addita, aut clariori, & distincta metodo digesta: quod non est idem, ac illis derogare. Idemmet dicitur quoad Dispositionem *supra* §. *II. num.* 9. positam ex antiquis transcriptam. Nam si seriò inspiciatur modus electionis Reverendissimi Patris Generalis totius Ordinis in dictis novis Constitutionibus præscriptus 3. *part. cap.*3. §.5. *num.*5. (ad cujus normam præcisè, & adæquatè fieri debet electio Prioris Provincialis ex eisdem Constitutionibus 3. *part. cap.* 9. §.6. *num.*5.), non est directè contrarius, nec clarè, & expressè correctorius modi in antiquis contenti. Quapropter voluntariè haud debemus illarum derogationem, & correctionem inducere; quin potius pro earum subsistentia stare, ac si dictæ Constitutiones modernæ minimè emanassent: imo & ad invicem quoad intelligentiam debent juuari. Nec est verisimile, aut credibile, quod Legislatores, Constitutionem prius tot vigiliis excogitatam, magno studio adinventam, tanta maturitate congestam, atque bonò communi Religionis utilem repertam, uno tantùm verbo, absque clara expressione subvertere, & revocare voluerint, prout notatur in *Cap. Ecclesia* 57. *de Elect.*, *& Auth. Vt Iudices sine quoque suffragio.* §.1. *collat* 2.; Si illam enim revocare, aut in parte derogare voluissent, facilè expressissent. *C. Inter Corporalia* 2. *de Translat. Episcop.*, *& C. Ad audientiam* 12. *de Decim.*; Idipsum confirmat illud Iuris axioma = *Quod disponens non loquitur, voluisse non præsumitur*.

II. Vnde nequaquàm admittere possumus, modernam Constitutionem Ordinis, quoad toties dictam Dispositionem, esse directè contrariam Constitutioni antiquæ, aut illi derogare, cum idipsum quod disponit nova ordinet antiqua, licet locupletiori modo, & plurium casuum comprehensivò. Solum autem admittere possumus, casum illum in antiqua prolixè descriptum, in Nova fuisse omissum. Sed huic omissioni prætò adest duplex providentia legalis. Prima est recursus ad dictam Constitutionem antiquam, quia Leges mutuò se juuant, auxiliumque ferunt, videlicet intelligendo per anteriores, per illasque supplendo in facti contingentia quidquid in posterioribus deficit, & est omissum, aut è contra, ut manet dictum *num.*28. II. = Secunda: quoties casus omissus in Lege particulari occurrit, standum est juri Canonico *argum.* L. *Si cum dotem* 22. *ff. solut. matrim.* L. *Sancimus* 27. *C. de Testam.* Et ita pro nobis declaravit Ven. Innoc. XI. in Const. *In supremo* § *XXV. In Bull. novissimo tom.*8. *const.*55. *b. Pont. pag.* 82.; & idipsum præscribunt Constitutiones Ordinis *in Prologo num.*8, & Decreta Capituli Generalis anno 1685. celebrati *tit. Declarationes num.*5. *pag.*42. Et

cum

cum in jure Canonico sit admissus modus electionis per accessum, seu aggregationem, fit inde &c.

§. VI.

30. Obiicient secundò Casu, quo per accessum, seu aggregationem valeat fieri canonica electio, hujusmodi accessus debet esse Vocalium habentium jus suffragandi legitimum, & incontroversum; ita non est jus suffragandi dictorum sex Priorum; Igitur ex eorum accessu, seu aggregatione nequit resultare canonica electio. Minor in qua stat difficultas, probatur. Vt in Provincia Chilensi, & cæteris Americæ Priores Conventuum habeant hujusmodi Ius, debent gaudere familia 8. Religiosorum continuæ assistentiæ in suis Conventibus, ob Brevia Apostolica Clementis VIII. & Pauli V., nec non per varias Regias Schedas dictorum Brevium auxiliarias; Imo dicta 8. Religiosorum familia utcumque constituta pro dicto fine non sufficit, sed debet esse *radicalis, actualis, præcisæ, & continuæ assistentiæ*, ut Patres Magistri expresè dicunt in suis Libellis; Et cum dicti Patres Priores relatam familiam tali modo haud habuerint, sequitur &c. Hæc ultima minor ab illis non probatur, sed supponitur, & insuper dicunt: Instrumenta à Prioribus allata ad probandum dictam habuisse familiam, esse subrectitia, & dolo extorta.

31 En potissimum, & vnicum fundamentum, quo Patres Magistri apperto, & obstinato marte vocem actiuam Priorum adoriuntur, eosque è Comitiis eiiciendos conantur. Et dicimus *vnicum*, quia in suo quinquies iterato libello nullum aliud præseferunt, & idcirco tanquam vnicum consultò supponimus; Et vt ei solidè, & perspicuè respondeamus, non nulla præmittemus.

32 Præmittendum primò. Priores Conuentuum, ex proprio munere, titulo, & Iure municipali Ordinis, gaudere voto in Comitiis Prouincialibus, ex dictis. §. I. *num.* 3. = Præmittendum secundò. Quod in Prouincia Chilensi ab eius primordiis Priores fuerunt in certa, & pacifica possessione Iuris eligendi vsque ad annum 1728. nam tunc inopinatè, die 31. Ianuarii, celebrationis Capituli Sex Patres Magistri, & vnus Præsentatus ex Prouincialis, quemdam libellum Gubernatori, & Capitaneo Generali Regni, ac Regio Senatui exhibuerunt petentes, executionem cuiusdam Regiæ schedæ citatorum Breuium auxiliariæ, vi cuius à voto in Comitii excludebantur Priores non habentes in suis Conventibus familiam 8. Religiosorum continuæ assistentiæ. Et de facto tunc pro prima vice aliqui Priores fuere violenter eiecti à Comitiis, ad dd. Magistrorum instantiam, maximo cum scandalo totius Regni perturbatione, ac pernicie Prouinciæ. Vnde dicto anno 1728. isthæc scena fuit primò excogitata, molita, & executa in Prouincia (*Totum constat ex Actis Capitularibus dicti Capituli in Archiuio Ordinis extantibus*) per dictos septem Patres, ex queis, quatuor è vita sublatis, tres tantum sunt super-

perstites: & hi sunt, qui nunc crambem recoquunt: De in per Octo Comitia Prouincialia 27. annorum decursu celebrata, nil fuit auditum super prætensa Priorum exclusione: & sic dictis octo Capitulis Priores pacificè, & inoffenso pede interfuere, quin dicti Patres Magistri Comitiis præsentes quidquam contra Priores opponerent, aut modo aliquo eorum suffragium impeterent. *Constat ex Actis dd. octo Capitulorum in Archiuio Ord. Extantibus*. Quibus factis octies repetitis in eorundem suffragium consenserunt, & tanquam validum, ac legitimum declararunt. Etenim facto ipso, non minus quam verbo Consensus elicitur. *L. De quibus circa fin. ff. de legib. L. Paulus L. Non tantum ff. rem ratam habere & DD.* apud Barbosam *de Axiomat. Iur. axiom.* 93. *num.* 6. Imo, plus est aliquid declarare facto, quam verbo: *argum. C.* Dilecti 52. de Appellat, juncta *Gloss.*, *& DD.*

33 Nec valent dicere. Quod in dictis octo Capitulis tempore intermedio (nempe 27. annis) celebratis, Patres Priores solum ex gratia ad suffragandum sunt admissi non verò tamquam Vocales ex justitia: qua propter nullam eis fieri injuriam, si nunc è Comitiis ejiciantur, Non inquam valet: quia hujuscemodi extraneorum [idest, Vocalium non legitimorum] admissio, non solet ex gratia concedi, imo verè non potest. Vnde in dubio præsumi debet, vt concessa ex justitia, vt ex Innocentio tenent Panormitan. *in C. Bonæ memoriæ* 4. *de Postulat. num.* 19. Passerin. *de Elect. C.* 14. *q.* 6. *num.* 28., & alii. Imo, onus probandi dictos Priores admissos fuisse ex gratia, ipsis Magistris incumbet, quia in his, quæ non solent gratiosè concedi non præsumitur gratuita concessio, nisi probetur. Ita *AA. citati*. Siquidem gratia non est præsumenda *argum. C. licet* 4. *de translat. Ep. & L. Cum indebito* §. 1. *de Probat.* & ex Abbat. & Layman., Reinff. *lib.* 1. *Decret. tit.* 6 §. 4. *num.* 81. Nec est verisimile, & credibile, quod Patres Magistri, qui nunc tot conatibus Priorum exclusionem moliuntur, motiuo tantùm consulendi electionum validitati (vt ipsi exagerant), cui dictorum Priorum non legitimè Vocalium concurrentia officeret, & ob hoc nimiis scrupulis anguntur; in retroactis octo Capitulis, eosdem non legitimos Vocales, inoffenso pede, & absque leui scrupolo, ex gratia ad suffragandum admitterent. Verùm, etsi in negata hypothesi, illos tùnc ex gratia admisissent, jam nunc ex justitia haud possunt eos repellere, cum per tot frequentes actus claros, ac certos, & cum titulo non colorato, sed vero in dictis Capitulis exercitos, jus suffragandi legitimum, & validum acquisissent, ex dictis supra §. 1. *num.* 2. II.

34 I. Præmittendum. tertiò. Quod ex jure, & Apostolicis Sanctionibus, in quouis Conuentu, aut Monasterio tàm Virorum, quam Mulierum, is tantùm numerus debet constitui, & in posterum conseruari, qui vel ex propriis redditibus, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit substentari. Ita decernunt Concilium Arelatense IV. *Cap.* 8. Moguntinum *Cap.* 19. & Tridentinum

tinum *seß. 25. de Regul cap. 3.* Idipsum statuere, Clemens VIII. anno 1599. in Decretis pro reformatione Regularium (*In Bul. Cherub. tom. 3. Const. 60. b. Pontif.*) approbatis & innouatis per Sac. Congreg. Concilii, jussu Vrbani VIII., in Decretis de Apostatis, & ejectis (*Ibid. tom. 4. Const. 26. b. Pontif.*) & Paulus V. in Constitut. *Sanctissimus in Christo* anno 1605. (*In eod. Bul. tom. 3. Const. 9.* : ac tandem Sacra Congregatio Concilii in Decretis de *Celebratione Missarum*. §. VII. (*In Bul. ibid.*) jussu Vrbani VIII. anno 1625. editis. Idipsummet præscribunt ConstitutionesOrdinis 3. *part. Cap.* 10. §. 7. *num.* 2. En, ex Concilis, Constitutionibus Apostolicis, Decretis Sac. Congregationis Concilii, & Constitutionibus Ordinis, ea Religiosorum familia in quouis Conuentu est constituenda, & deinceps conseruanda, quæ ex propriis redditibus, vel consuetis eleemosinis commodè possit sustentari. Et ly *commode substentari* intelligitur juxta consuetudinem Religionis, & qualitatem personarum; non verò cum penuria, ægestate, & deficientia necessariorum: vt in simili exponit Glossa. *in C. Periculoso vnic. de Stat. Regul. in VI. Ver. Sane.*

II. Sed in Regularium Monasteriis nouiter erigendis insuper est obseruandum Decretum Sac. Congregationis Concilii sub Gregorio XV., præcipiens: ne deinceps Monasteria erigantur, nisi in eis saltem 12. Patres inhabitare, ac ex redditibus, & consuetis eleemosynis, commodè, & congruè substentari valeant (*In eod. Bul. tom. 4. Const. 31. Greg. XV.*) Quod Decretum innouauit, & obseruari statuit eadem Sacra Congregatio jussu Vrbani VIII. in Decretis supra relatis *de Celebratione Missarum*. Nec non idem Vrban. per Const. incip. *Romanus Pontifex* [*Ibid. tom. 4. Const. 25. b. Pontif.*] Videantur Peyrin. in *Const. Pirrhi* §. 9., *& in Const. 6.* Gregor. XV. Lezana *in Sum. tom. 1. cap. 9. num. 35. & 44. & tom. 2. V. Monasteria num. 2.*, & alii de hac re tractantes. Verum, cum huiusmodi Sanctiones, de familia 12. Religiosorum, in Regnis Hispaniarum haud fuerint executioni mandatæ; idcircò ab earum discutione abstinendum. Sicut & ab illis, quæ emanarunt in Pontificatu Innoc. X. cum tantùm pro Italia, eiusque Insulis adjacentibus fuerint.

55 I. Præmittendum quartò. Quod Breve Clement. VIII. statuens in Conuentibus Americæ familiam 8. Religiosorum continuæ assistentiæ [vt dicitur in obiectione posita *num.* 30.] nullibi inuenire potuimus; nec Authorem aliquem de illo tractantem: quapropter eius dispositionem nescimus. Et ni fallimur, idemmet accidit Patribus Magistris, tam respectu istius Breuis, quam alterius Pauli V. pro eodem fine ab ipsis citati. Quia nec anno 1728., quando istam aleam jecerant, nec isto 1755. dùm eam repetunt, aut originale, aut Copiam illorum exhibent vel aliquod leue fragmentum adducunt, imo nec annum, & diem eorum expeditionis, aut Bullarium, vbi inueniuntur, citant, aut

An-

Authorem, qui de eis pertractet. Quæ omnia, minimè vtraque vice omitterent, si relata Breuia haberent, aut vidissent. Qua de Causa verisimilius conijcimus quod dicti Patres Magistri dumtaxat audierunt Schedam Regiam [de qua infra *num.36.*] dicta Breuia citare & absque alia notitia, aut indagine, pro fine sibi præfixo sufficientia censerunt. Nos vero, cum istius Breuis Clement. VIII., ob relata motiua, indiuidua notitia careamus quidquam de eo assertiuè loqui non valemus.

II. Quoad aliud Breue Pauli V. ibidem pro eodem fine citatum dicere possumus, fuisse expeditum *anno 1611. die 23. Septembris* [*Valenzuela, Additon. Politicæ Ind. Ioannes Solorzano t.2. l.4. c.23. num.59. eius expediti onem ponit die 5. vel 20. Decembris*) in eoque statuit, quod | Conuentus Prouinciarum Americæ cuiusuis Ordinis, qui numerus saltem Octo Religiosorum de familia alere non possent, supprimerentur, & Religiosi, illic residentes, ad alios Conuentus immediatos, vbi regularis vigeret obseruantia, transferrentur [sicut & redditus]; Commitendo eius executionem arbitrio Archiepiscoporum Mexicani & Limani, si ipsis pro Diuini Cultus, & regularis Disciplinæ augumento expediens videretur: super hoc eorum conscientias onerando. Ita dicti Breuis dispositionem referunt varia Breuia Clement. XI., & XII. infra *num.46., & 47.* citanda; & Additionator *Politicæ Indianæ Domini Ioan. Solorzano tom.2. lib. 4. cap.23. num.59.* [vbi ait, d. Breue reperiri in Ecclesia Archiepiscopali S. Fidei, & in Concilio Indiarum *tom. 1. Bullarum extante in exhedra Gubernii*]: quià nos vsque adeò, nec originale, nec illius Copiam videre potuimus; & per Ministros Regios solùm fuit intimata Prouinciæ Regia Scheda, absque vlla manifestatione Breuium in ea citatorum. En tota dispositio citati Brevis Pauli V. quin in ea quidquam de priuatione Voti Priorum in Comitiis adjungatur, casu quo Conuentus dictam familiam non habentes absque suppressione permaneant, eo quod Archiepiscopi, quibus commissa fuit executio, id haud expedire censuerint. Similem [quando non identicam] fuisse præsumimus dispositionem citati Breuis Clementis VIII.; & idcirco de vtriusque prouidentia indiscriminatim loquemur.

36. I. Præmittendum quintò. Quod in auxilium vtriusque citati Breuis exierunt aliquæ Schedæ Regiæ circulares, vi quarum ordinabatur vt in omnibus Regularium Prouinciis totius Americæ dicta Breuia executioni mandarentur. Sed in Regno Granatensi, alias. S. Fidei, haud fuit obtemperatum eo quod Breue Pauli V. Schedæ circulari annexum tantùm loqueretur cum Archiepiscopis Mexicano, & Limano. Qua propter *sub die 20. Augusti 1615.* noua Scheda fuit expedita Archiepiscopo Limano directa, vt suam iurisdictionem Archiepiscopo S. Fidei, & cæteris Peruuii subdelegaret, pro dicti Breuis executione. Sic d. Additionator *loc. cit. n. 60.* Limam etiam peruenit Scheda cir-

circularis vna cum dicto Breui Pauli V.; cuius executionem Archiepiscopus Limanus suspendit ob mœrorem, quo afficiebantur Fundatores Capellarum, Funeralium, & Cappellaniarum in dictis Conuentibus. Et sic solum repræsentauit, ipsi videri medium suauius, Prælatis Regularibus iniungere, vt in Conuentibus numerum octo Religiosorum implerent. Et hoc medium fuit approbatum per aliam Regiam Schedam *sub die 18. Iunii 1616.* expeditam. Ita cit. Additionator. *num.61.*

II. Indubiè ad nouum Regnum Granatense denuò peruenit d. Breue vna cum subdelegatione Archiepiscopi Limani, (in vim Schedæ supra citatæ 20. Augusti 1615.] pro eiusdem executione: qua non obstante, Archiepiscopus S. Fidei ab executione astinuit, vt rationabiliter valet coniici. Nam tunc Sacræ Congregationi Episc. & Regul. scripsit, eique retulit, impossibile prorsus fore, ad dicti Breuis executionem deuenire. Et insuper addidit, quod frequenti experientia sit compertum, ex huiusmodi Breuium prætensa executione ingentia pullulare damna, cum illorum obseruantia nunquam demandetur, vel initio, aut medio trienii, vel quatrienii gubernii; sed solùm, vel in ipsomet actu celebrationis Capituli, vel paucis diebus, aut horis ante: & non alio fine, quàm pro obtinenda Superiorum localium exclusione à Comitiis. Et hoc tantùm accidit, quando ambitiosi prætendentes agnoscunt, se, ferentibus, vel non ferentibus votum dictis Superioribus, posse includi, vel excludi: Consequenterque solùm tendat ad fouendam aliquorum ambitionem, turbandam Prouinciarum pacem in suis Comitiis, excitandum continuas inter Religiosos discordias, vel ad validandam, aut annullandam electionem pro suo nutu, & libito. Totum hoc memoratus S. Fidei Archiepiscopus Sacræ Congregationi retulit, & significauit (vt refertur in Breuibus Clement. XI., & XII. in infra *num.46., & 47.* citandis]: cuius relationi, ac dicto plena fides] est adhibenda; taliter vt in dubium nequeat verti; Cum dicti Breuis executio, eius conscientiæ, ac aliorum Archiepiscoporum sit commissa, vt ex Iure, & variis Doctoribus tenent Glossa, *Barbosa l.1.vol.4. num.36. Paserin.de elect. c.33.q.11.n.147.* Mascard. *de Probat. vol.1. concl.414. num. 1.*, & Lezana *tom.4. cons.53.n.57.*

III. Tandem sub die 16. Februarii 1703. in auxilium dictorum Breuium prodiit alia Scheda circularis ad Prouincias Regularium vtriusque Americæ, qua seriò eorumdem executio iniungebatur. Sic d. Additionator. *loc. cit. num.70. & 74.*; Quæ eodem anno de mense Nouembris Limam peruenit. Et quem exitum ibi habuerit, vide apud ipsum *à num.71. ad 80.* citata Scheda, ni fallimur, fuit, quę ad Regnum Chilense peruenit initio sequentis anni 1704., vt communiter fertur. Sed pro tunc nil fecere Ministri Regii (queis erat commissa eius executio) super illius intimatione, aut executione, in aliqua ex Prouinciis Regularibus

bus

bus illius Regni. Indubiè dictæ Schedæ impracticabilitatem considerantes, ob paupertatem Conuentuum, & paucitatem Religiosorum. Et sic sub totali silentio, & quasi sepulta latuit vsque ad annum 1728., quo primùm pro nostra Prouincia in lucem prodiit ad importunam septem Patrum instantiam, vt dictum est *supra num* 32., & latiùs dicetur *num. sequenti*. In dicta Scheda (& idem discurrendum de anterioribus hac super re emanatis) sequentia sanciebantur = Quod quilibet Conuentus familiam aleret octo Religiosorum continuæ assistentiæ; sin aliter, Superiores locales [nempe Priores) tali familia carentes, non potiantur voto in Capitulis. Et illius executio committebatur Proregibus, Gubernatoribus, & Regiis Tribunalibus illarum partium respectiuè, vbi fuerunt Prouinciæ, *& Archiepiscopi, & Episcopi, vt super eius obseruantia inuigilarent exortabantur*. Et hoc præcipiebatur in vim citatorum Breuium Clem. VIII., & Paul. V. = En totum contentum dictæ Schedæ.

IV. Ex quo sequitur, quod licet citata Breuia, & Regiæ Schedæ in assignanda familia octo Religiosorum in quouis Conuentu conueniant, in aliis verò circumstantiis differunt, quod manifestè apparet. Nam Breuia dictam familiam absolutè præscribunt, & si eam haud valent alere, supprimantur Conuentus, & Religiosi in illis degentes ad alios immediatos, vbi regularis vigeat obseruantia, transferantur: eorumque executionem committunt Archiepiscopis Mexicano, & Limano, si ipsis pro Diuini cultus, & Regularis Disciplinæ augmento, expedire videbitur. Schedæ verò, vltra assignationem octo Religiosorum, addunt; *continuæ assistentiæ*; quod Priores huiusmodi familiam non habentes, careant voto in Capitulis; ac earum executionem Ministris Regiis committunt. Sed alias circumstantias in Breuibus expressas minimè attingunt, nec de eis loquuntur. Quapropter certo supponere debemus: vel quod etiam in citatis Breuibus fuit præscriptum totum id, quod in Schedis ordinatur, etsi eorum expressio fuerit omissa à Breuium dispositionem referentibus (cum nos, vt manet dictum supra *num.* 35. II. eorum originale, aut copiam videre non potuimus]: Vel quod posteà à Sancta Sede prodierit aliqua dispositio, cui omnimodè conformentur Schedæ Regiæ: quia aliter conciliare non possumus, quod hæ sint dictorum Breuium auxiliariæ, & in dispositione notabiliter ab eis discordant. Præsertim in materia purè spirituali, & ecclesiastica, vti est votum Priorum in Comitiis Prouincialibus. Nam Ius eligendi ad Prelaturas Ecclesiasticas, & Regulares inter *mere, & simpliciter spiritualia*, seu *inter spiritualia* primæ classis (vt distinguit Glossa *in C. Gratia verf. Spiritualia* 1. *cauf.* 1. *q.* 1.) numeratur: cit. Glossa *verf. Spiritualia, & verf. Gratia*. Rend. *de Elect. tom.* 1. *tit.* 6. *sect.* 1. *n.* 31., *& Communis*. Et haud obscurè infertur *ex C. Placuit* 23. 16. *q.* 7. *C. Eccles.* 10. *de Const. C. Sacrosancta* 51. *C. Messana* 56. *de Elect.* & alii = Et Votum in electio-

ctionibus esse quid spirituale tenent Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. c.37.* Pontel. *in Resp. moral. part. 2. cas.16.* Lezana *in summ. tom. 1. par. 2. c. 12. n. 35.*, Lessius *de Iust. & Iur. l. 2. c. 35. dub. 21. n. 19.* estque indubitatum inter DD.

Omnibus his pro dicendorum claritate præmissis; ad satisfaciendum obiectioni supra *num.* 30. positæ procedamus.

§. VII.

37. I. Dictæ obiectioni respondetur primo. Quod cum Priores Conuentuum ex proprio Officio, & titulo, ac ex Iure municipali Religionis habeant Ius eligendi in Comitiis, ex dictis §. I. *n.* 3.; illud nunc tantùm posset impugnari, & euerti, ob defectum conditionis, in vim citatorum Breuium Clem. VIII. & Paul. V. ad gaudendum tali suffragio præscriptæ, videlicet familiæ octo Religiosorum continuæ assistentiæ in Conuentibus. Verum, nec ex hoc capite huiusmodi Ius valet inficiari, eò quod dictæ conditionis assistentiam habuissent, quod aperte constat, tum ex assignatione Familiæ in Conuentibus facta in Capitulo anteriori, vt videre licet in eius Actis Capitularibus in Archiuio Ordinis extantibus; tum ex attestatione iurata(*Reperitur in Test. auth. sign. lit. A.* Patris Prouinc.]; tum etiam ex qualificatione votorum per Iudices Causarum facta: vbi Priores sua Instrumenta Iuridica exhibuerunt, & eisdem euidenter probarunt, se in suis Conuentibus recensitam familiam habuisse, & eorum virtute, & inspectione, vox actiua illorum euasit qualificata, & approbata: Vno dumtaxat excepto, nimirum Priore Conuentus de Coquimbo, qui à dicta approbatione fuit exclusus quia licet hic Prior quasi per integrum triennium requisitam octo Religiosorum familiam aluisset, paucis mensibus ante Capitulum vnus ex dictis Religiosis è Conuentu sine licentia Patris Prouincialis discessit, & Ciuitatem Limanam perrexit. Quo cognito, licet Pater Prouincialis alium Conuentualem locò absentis statim destinasset, nec hic tempore opportuno ad Conuentum dictum peruenit, in itinere malitiosè detentus. Vnde ob istius Conuentualis defectum, dictus Pater Prior fuit à Comitiis exclussus. Nam ad has angustias querula, & obstinata dictorum Magistrorum criminalitas Patrem Præsidentem, & Iudices causarum redegit, vt Priorem insontem à suffragando excluderent. *Totum constat ex d. Testim. sig. litt. A.*; Et quod primus Religiosus à dicto Conuentu recesserit, & secundus eius loco destinatus non peruenerit, forsan accidit dictorum Magistrorum suggestionibus. In hoc infelicissimo systemate constituta est Prouincia, vt cuiuslibet Subditi arbitrio, aut malitia, eius Prælati Votum dependeat. Et ob simile inconueniens Regium Tribunal Limanum *die 6. Iulii* 1705. resoluit, suspensionem executionis Schedæ *die* 16. *Februarii* 1703. expeditæ (de qua *supra n.* 36. III.) vt refert dictus Additionator *Polit. Ind. Solorzani tom. 2. lib. 4. c. 23. n. 74. & 75.*

II. Vnde immerito, imò & absque ulla veritatis umbra dd. Patres Magistri Zelo religionis Larvati Provinciam, ac Comtia turbarunt prætextu paucitatis familiæ in Conventibus, quam taliter exagerare conantur, ut in suo quarto Libello inverecundè protulerint, Conventum Conceptionis tres, vel quatuor Religiosos Senes de continua assistentia duntaxat habuisse. Immeritò quidem, quia in novem Capitulis, seu triennis retroactis Conventus Provinciæ haud habuere majorem familiam præ triennio præsenti, excepto tantum dicto Conventu Conceptionis, qui elapsis temporibus numerosiorem præ nunc familiam alebat, eò quod esset domus Novitiatus, & studii Philosophiæ. Sed cum annis 1730. & 1751. ob terræ concussionem, & maris alluvionem bis quasi totalem ruinam pertulerit, modò haud valet tantam familiam, ac antea, sustentare; Quam ob causam in præsenti triennio tantum duodecim, & ad minus undecim Religiosos habuit ex familia continuæ assistentiæ, ut constat ex Actis Capituli anterioris, & Attestatione Iurata Patris Prov. proximè citatis. Et si Patres Magistri taliter cæcutiunt, ut familiam undecim, vel duodecim Religiosorum dicti Conventus Conceptionis ad tres, vel quatuor Senes extenuare contendunt, quid sperandum faciant ex aliis Conventibus præcisam Octo Religiosorum familiam tantùm habentibus? Nec est reperibile motivum, quo Pater Provincialis requisitam in Conventibus non posuisset familiam, cum ex eius diminutione nil ipsi utilitatis obveniret, quin potius tam ei, quam Prioribus, ac Provinciæ, poterat præiudicium redundare.

38. Superest nunc examinare quomodo debeat esse dicta 8. Religiosorum familia in quovis Conventu colocanda? Dicti Patres Magistri, ut rigidissimi Legis, & observantiæ regularis Zelotes compareant, irregularem, & inauditam viam aggredi conantur, dicentes: quod per citata Brevia, & Schedas in eorum auxilium emanatas, dicta familia debet indispensabiliter esse, *radicalis, actualis, præcisæ* (*idest, necessariæ*), *& continuæ assistentiæ*: ut ex eorum quinque libellis, ad oculum patet. = Et hoc est totum ipsorum commentum: quo velut ariete bellico omnia prosternere contendunt, & Priorum votum convellere adoriuntur. Et priusquam tali machinationi respondeamus, ab illis illuminari, ac doceri cupimus, *C. Si habes q.* 24. , c. 3. & idcircò sciscitamur: quid per ly *radicalis* inteligatur, loquendo de habitatione Religiosorum in Conventibus? Nam in subiecta materia, dictæ vocis significationem penitus ignoramus, & nullibi eam invenire potuimus; imo nec ariolari possumus. Quapropter per dictos Patres Magistros edoceri cupimus. Et idipsum sciscitamur de illis vocibus, *actualis, & præcisæ*, seu *necessariæ*? Quia in sequenti expressione, videlicet, *Continuæ assistentiæ* (in Regiis Schedis duntaxat reperta) totum erat perspicuè, & satis indicatum: nam *continua assistentia* 8. Religiosorum in Conventibus, abunde exprimit, eorum existentiam ibi debere

esse,

esse, *actualem praecisam* seu *necessariam*. Ex quo sequitur; quod prima illa vox *radicalis* (in subiecta materia) videatur peregrina, & proprio cerebro conficta; & aliae duae, nempe *actualis & praecisse*, sint superfluę, & inutiles.

39 Non diffitemur, dictam familiam Octo Religiosorum in Conventibus debere esse continuae assistentiae, ex Regię Schedae praescripto; & similem expressionem ex citatorum Brevium fontibus hausisse neutiquam dubitamus, ex dictis supra *num.* 36. *IV.* tamen dicta *continua assistentia* in Conventibus non debet ita grammaticaliter, stricte, ac rigorose accipi, ut sit inteligenda sine intervallo temporis, aut de momento in momentum; sed sufficiet, quod dicti 8. Religiosi revera sint de familia assignati in quovis Conventu, ibiq. frequenter assistant; tametsi aliquando, jussu vel de licentia Superioris è Conventu egrediantur unus, vel alter ad negotia Conventus, vel ad quaestuandum pro sustentatione Fratrum, aut infirmitatis Causa, vel ob quaevis alia motiva honesta, & licita. Quia nomen *Continuus a. um.* & dictiones *continuò*, *continuè* & idem de similibus, nimirum *semper*, *sine intermissione*, *quotidie*, *Indesinenter &c.*) quamvis grammaticaliter & ex sua natura significare videantur, sine ullo temporis intervallo, seu de momento in momentum: tamen id debet multoties intelligi, penes magis, vel minus, iuxta subiectam materiam. Seu, aliquoties sumuntur *moraliter*, *& civiliter*, *& humaniter*, pro omni tempore & hora, quo id fieri potuit; non tamen semper grammaticaliter, & metaphisice. Ita ex Decio & aliis tenent Naldus *in Sum. V. occidere. num.* 10., *& V. Dictio nu.* 13. *Lezana in Summ. tom.* 2. *V. Dictio num.* 11., *&* 35. *Reinff. in Theolog. Moral. tract.* 12. *q.* 8. *num.* 79., & ex Barbosa, Gobat, & aliis, Mathaeucci *in Offic. Cur. Vers. Indulgentia num.* 28. Imo *Continuus a. um.* aliquando pro *Assiduo* sumitur: ut ex tacito, tenent omnia *Dictionaria*; quemadmodum de dd. Patribus Magistris potest vere, ac propriè dici, quod habeant continuam assistentiam in Conventu S. Iacobi V. G., etsi, de licentia Praelati per 15. dies, aut per duos, vel tres menses aliò divertant iterum reversuri.

40 I. Haec doctrina multifariam fulcitur. Primò, quia in materia odiosa, & paenali semper est facienda benigna interpraetatio ex *C. Ex literis* 11. *de Const. & ex Regulis* 15. 30. 45. *&* 49. *Iuris in VI. & ex Legibus* 9. 34. 114. *&* 155. *ff. de Regul. Iuris*, queis concordant. *LL.* 42., *&* 56. *ff. de penis*; & ibi DD. Et cum dispositio excludens Priores à Comitiis, ob defectus familiae Octo Religiosorum continuae assistentiae, sit odiosa, & penalis: sequitur, ut debeat admittere benignam & mitem interpretationem à nobis propositam, tanquam ex aequitate ortam; & omnino respuere cervicosam, ac asperrimam à Patribus Magistris molitam. Nam Iura promptiora sunt ad liberandum, quam ad obligandum; magisque inclinant ad minuendam, quam augendam obligationem *argum. C. Ex literis* 3. *de Praebend. &*

 l. Aria-

l. Arianus 47. *ff. de Obligat. & Act. ubi D. D.*

II. Secundò quia ab exordio intimationis dictæ Schedæ usque nunc (idest ab anno 1728. usque ad præsentem 1755.) modò à nobis dicto fuit practicatum tam in nostra Provincia, quam in aliis illius Regni; quin Ministri Regii executores designati contradixerint, aut quidquam amplius prætenderent. Et in præsenti nec minimam insertionem habuissent, aut talis rei meminissent, si à Patribus Magistris non fuissent excitati. Imo nec ipsi Patres Magistri in Octo Provincialibus Comitiis dicto tempore intermedio coactis, quidquam adversus Votum Priorum opposuerunt, ut manet dictum *supra n.32. & 33.*; aut præsentem interpretationem in lucem prodierunt: & idcirco, toto retroacto tempore, fuit practicata Scheda modo à nobis indicato, nemine contradicente, aut excipiente, & cum praxis, & consuetudo passim recepta *sit optima legum Interpres C. Cum dilectus 8. de consuet. L. si de interpretatione 37. ff. de Legib. Rota decis.* 642. *num.15. part.1. recent. & Comm. D. D.* fit inde, ut rigidæ interpretationi, seu machinationi à contrariis molitæ haud sit locus. Dictis etiam concordat. *cit. Regula 45. Iuris in VI.* ibi = *Inspicimus in obscuris, quod verisimilius est: vel quod plerunque fieri consuevit.*

III. Tertiò Religiosi, qui Superioris jussu, aut de eius licentia sunt extra Claustra, ob Conventus negotia, vel ob infirmitatem, adversam valetudinem, vel alia motiua rationabilia & iusta, non censentur à Monasterio absentes; sed potius præsentes, fictione juris, ac intra Claustra assistere, ut colligitur ex *C. Volentes 1. de Privil. in VI.* ibi = *Cum non sit inconveniens, aliquem utrobiq. locum habere monachicum.* Et concordat *L. 28. tit.15. L. 1. Recopil. Indiarum* Et id expresse tenent *Abbas. in C. ex rescrip. num.5. de Iure jurand. Navarr. in C. Statuimus 19. q. 3. num. 74., & lib. 3. Consilior. Regul. Cons.32. Fagnan. in C. Insinuante qui Clerici &c. num.38.* Solorzano, *ad Iure indiar. tom.2. lib. 3. C.16. num. 62., & in Politica, lib.4 C.16. num.37.* Siluester. *V. Religio. III. q. 19. vers. 2.* De Franch. *part. 1. Controv. inter. Ep. & Reg. num. 4. in Addit.* Passerin. *de Elect. C.3. num.65. & C. 10. num.122.* Schmalzg. *Lib.3. Decret. tit.31. § 4. num.62.* Reinff. ibid. *num.107.* estque *Comm.* Quod confirmatur paritate Gremialium alicuius Ecclesiæ, Collegii, Vniuersitatis &c. qui dum alibi morantur ob suæ Communitatis negotia, aut de eius mandato, non censentur absentes; sed quoad omnes effectus favorabiles, fictione Iuris computantur præsentes, ut constat, ex toto Titulo de *Canon. absent. & Cleric. non resid. in VI.* ex Sum. Pontificum Diplomatibus, aliisq. Doctoribus apud Barbos. *de Canonic. & Dignit. C.24. num.3. & 52.* & Reinff. *L. 1. Decret. tit.2. §. 8. num.180. 185. & 186.* Et idcirco in *L. Absentia 140. ff. de Reg. Iur.* dicitur = *Absentia eius, qui Reipablicæ Causa abest, neq. ei, neq. aliis damnosa esse debet.*

41 I. Isthæc doctrina aptissima; ac fortissima paritate roboratur.

Annus

Annus probationis præviæ ad professionem religiosam est à Iure dispositus *Can.* 1. 17. *q.* 2., *& C. Ad Apostolicam* 16. *de Regul.*, & à S. Concil. Trid. *sess.* 25. *C.* 15. *de Regul.* expresse, ac rigorose præscriptus. Et debet esse completus à momento in momentum, ut tenet communior, ac securior Sententia, ac in praxi omnino tenenda, ut ait Reinff. *lib.* 3. *tit.* 31. §. 4. *num.* 94. *& seqq. &* Miranda *tom.* 1. *q.* 22. *art.* 3. *concl.* 2. eam vocat certam. Imo debet esse continuus, idest absque ulla interruptione, ut ex pluribus probant Suar. de *Relig. tom.* 3. *L.* 5. *C.* 15. *num.* 3. Bonacin. *de Claus. q.* 2. *punct.* 10. *diffic.* 2. §. 2. *num.* 3. Sanchez. *in Decal. l.* 5. *C.* 4. *num.* 31. Lezan. *in Summ. tom.* 1. *C.* 2. *num.* 11., *& tom.* 2. *V. Professio num.* 10. & alii plures: & in facti contingentia, ita Sacram Congregationem Concilii declarasse, referunt Fagnan. in *d. C. Insinuante num.* 36. Reinff. *loc. cit. num.* 105. Lezan. *loc. cit.* Schmalzg. *l. c. n.* 63. & alii. Et non solum debet esse continuus modo dicto; sed etiam assistentiæ intra Monasterium, ut evincitur ex *C. Is qui* 1. *de Regul. & trans.* & in loco ad id deputato, dicto *Novitiatu*: nam ideo annus probationis regulariter nuncupatur *annus Novitiatus*, ut vocatur à Concil. Trid. *l. cit. C.* 16. ibi = *Finito tempore Novitiatus &c.* & à Sacra Congregatione Concilii in decissione, quam referunt Sellius in *Select. Canon. C.* 18 *num.* 51. Barbos. *in Collect. Bol. V. Professus* & Lezana *tom.* 4. *cons.* 8. *n.* 6.

II. En d. annus probationis debet esse completus, continuus, & continuæ assistentiæ intra Conventum, & Novitiatum, ut constat ex dictis. Quo non obstante, si Novitius cum habitu, & de Prælati licentia extra Claustra sit per aliquod tempus, etiam supra semestre, non per hoc discontinuatur annus probationis; sed eo completo poterit profiteri æquè ac si per integrum annum, ac continua assistentia intra Conventum, & Nouitiatum stetisset, ut docent *Suar. l. c. Cap.* 14. *num.* 13., *Fagnan. l. c. num.* 38. *Navarr. l.* 3. *cons. regul. cons.* 42., *Barbos. de Iure Eccl. L.* 1. *C.* 42. *n.* 126. *Mirand. l. c. art.* 5. *Tambur. de Iur. Abb. to.* 3. *D.* 6. 7. *q. num.* 16. *Lezan. tom.* 2. *vers. Professio n.* 10. *& to.* 4. *cons.* 7. *a n.* 21. *Reinff. l. c. num.* 107. *Schmalzg. l. c. Novarius V. annus num.* 8. & alii: Et in facti contingentia à Sacra Congregatione Concilii fuisse declaratum, referunt Armendar. Barth., de Vechis, & apud Lezan. *l. c. tom.* 4. *n.* 26. Imo. Navarr. Suarez. Fagnan., & Lezana *ll. cc.* etiam testantur Sacram Congregationem Concilii in casu simili idem declarasse, scilicet in casu, quo Nouitius ex licentia Prælati ultra semestre à Monasterio absens, in quadam Curia negotia Monasterii tractauit. Igitur sicut, fictione Iuris, in dictis casibus Novitius censetur intra Monasterium degens, & Novitiatui assistens, ac annus probationis dicitur continuus; multò melius, & facilius verificabitur continua assistentia 8. Religiosorum in Conventibus, pro fine controuerso, etsi aliqui eorum de licentia Prælati, & ob motiua dicta, aliquando extra Claustra

 fue-

fuerint *Zumarg. à maiori ad minus*, quod est validissimum in Iure C. *Lex venerabilem* 13. *Qui filii sint legit.*, tum etiam, quia non debemus præsumere Sanctam Sedem, & Sacram Congregationem maiori scrupulo, & circumspectione processisse erga continuam assistentiam 8. Religiosorum Professorum, seù Sacerdotum in Conventibus, pro effectu solius Conventualitatis, quam erga continuam assistentiam Novitiorum in Convento, & Nouitiatu, pro effectu anni approbationis. Et si hic licentia Prælati facit, quod Novitius phisicè absens, censeatur præsens, & de continua assistentia; multoque fortiùs illic, seù in præsenti Casu.

An dicta Doctrina de Novitiatu etiam teneat in Novitiatibus Italiæ, & Insularum ei adiacentium ob Decreta Clementis VIII. 12. *Martii* 1596., & 20. *Iunii* 1599. innovata per S. C. C. iussu Vrbani VIII. consule Lezan. *to.* 1. *p.* 1. *c.*24. *n.*22. 23., & 24. & Dian. *in Dub. Reg. resol.*84. & 89.

§. VIII.

42. I. Obiectioni *supra* §. *VI.* 30. positæ respondetur secundo, dispositionem citati Breuis Pauli V. esse conditionatam. Nam ex dictis *eod* §. *num.*35. *II.* eius executio Archiepiscopis Mexicano, & Limano fuit commissa sub hac expressione = *Si ipsis pro Divini Cultus, & regularis disciplinæ augumento expendiens videretur, seù videbitur &c.* Natura autem dictionis *Si*, maximè iuncta verbo futuri temporis [proùt hic contigit], habet vim conditionis: ut in *l.* 1. *ff. de Conditi.*, & *demost. Leg. qvibus diebus* §. *Quidam ff. eodem tit.* & *in L. Quis ff. de Verbo obligat.* notant *Comm. Doctores*, quorum plures cum Rotæ Decisionibus affert Barbosa *tract. de Diction. dict.*364 *num.*1. Pariter, natura conditionis talis est, ùt ipsa omissa, dispositio non sortiatur effectum *L. Qui hered.* & *L. Mævius ff. de condit.* & *demost.* Id ipsum tenent. Tuscus, Paris. Menoch. Gutierr. & plures alii apud Barbos. *in Axiomat. Iur. axiom.*48. *num.*1. & Lezana *tom.*3. *in Marimagno Ord. Min* §.21. *num.*56. Seù dispositio conditionata non obligat, nisi conditione subsistente, eò quod conditio suspendit actionem, & obligationem, ut cum Baldo. Perin. & Bertach. tenet Lezana *l. c.* §.41. *num.*119. Et cum relata conditio nunquam fuerit posita, aut substitit; quia Archiepiscopi, quibus Brevis executio fuit commissa, nunquam expediri Iudicarunt; Sed potius contrarium, ùt ex dictamine Archiepiscoporum Limæ, & Sanctæ Fidei, superius relato §. VI *n.* 36. *I.* & II. manistè liquet. Imo, nec Episcopi Regni Chilensis executionem d. Breuis expedire censerunt, aut minimam super re habuere intentionem. Igitur dispositio Breuis, in dicti Regni Prouinciis non tenebat, seù ad eius executionem minimè obligabat ob deficientiam relatæ conditio-

ditionis. Eò præsertim quia hæc uideretur expressa mens Disponentis, seù Legislatoris: quia quotiescumque Is suam dispositionem restr ngit etiam nos restringendo debemus eam interpretare, ùt ex Baldo ait Lezana *loc. cit.*

II. Dictæ obiectioni respondetur tertio, quod gratis dato, & non concesso, quod triennio proximè elapso in Prouinciæ Conuentibus haud fuisset familia 8. Religiosorum continuæ assistentiæ, nec modo à Contrariis intento, nec à Nobis explicato; adhuc tamen Votum Priorum in Comitiis esset legitimum, & ualidum; ac per consequens neutiquam de ualiditate electionum, queis ipsi interessent, erat hæsitandum. Nam certi Iuris est, potestatem dispensandi in Constitutionibus, & Legibus earum Legislatori competere. Quia obligatio legis humanæ inducitur pro uoluntate legitimi Superioris præcipientis. Igitur per ipsius uoluntatem potest auferri. Seù indiuidualius ad nostrum Casum. Determinatio dictæ familiæ 8. Religiosorum continuæ assistentiæ, & priuatio voti Priorum in Comitiis, qui eam non habuerint, ex voluntate Summi Pontificis præcipientis fuere inductæ; Ergo ex voluntate ipsius dispensatis, utrumque potest auferri juxta illud= *Omnis res, per quascumque Causas nascitur, per easdem dissoluitur Regul.*1. *Iuris*, & habetur *in C. Omnis* 27. *q.* 2. & concordant *C. cum cessante* 60. *de appellat.* & *L. Nihil tam naturale* 35. *ff. de Reg. Iur.* & *comm. DD.* teste Lezana *tom.*4. *consult.*6. *num.*32. Et quod utrique dispositioni, videlicet quoad determinatum numerum Familiæ, & privationem Voti Priorum sit derogatum, vel super ea dispensatum, sequentibus documentis ostenditur.

43 Sit primum documentum quoddam Breve Clementis IX. in fauorem nostræ Religionis expeditum *sub die* 13. *Ianuarii* 1668., quod habuit *Regium exequatur Concilii Supremi Indiarum* (Hispanè = *El passe* vel Consejo de Indias) sub die 29. *Iannarii* 1675. Vtrumque refert Valenzuela *Additionator Polit. Ind. Ioann. Solorzano tom.*2. *lib.*4. *c.*23. *num.*72. & 73. Dictum Breve sequentia continebat= Quod Reverendissimus Luchini dum esset Generalis Ordinis per quoddam Decretum statuerat numerum determinatum Religiosorum in Conventibus, ùt talium privilegiis fruerentur. Post Pater Procurator Generalis Regni Peruntini supplicem Libellum Sacræ Congregationi Ep. & Regul. porrexit, quo petebat, ut Conventus dicti Regni privilegio Conventuum formalium gauderent, etsi non haberent numerum Religiosorum à d. Rmo Luchini assignatum: Et quod isthæc derogatio, & noua numeri Religiosorum assignatio committeretur Reuerendissimo Valvassorio, tunc Priori Generali Ordinis. Et Sac. Congregatio, annuens postulatis, totum negotium Reuerendissimo Valvasorio commisit, qui, in uim dictæ Commissionis, omnibus Domibus Regni Peruntini nomen Conuentuum restituit, quamuis non haberent, nisi tres Religiosos, & unum Priorem, & quod si essent se-

 parati,

parati, eò quod Domus eos simul alere haud posset, unirentur in festis principalibus anni ad ea celebranda in Conuentibus. Ità in terminis refert d. Valenzuela *l. c n.73.*

44 Indubiè super dicta concessione, & dispositione innititur Decretum illud Capituli Generalis Romæ celebrati anno 1685. titulo = *Pro novi Regni Granatensis Provincia* = *pag.79. num.5.* = ubi, postquam statuerat, quod Priores Titulares non fruantur Voto in Comitiis, cum id solùm competat ijs, qui re ipsa sunt Priores, Conuentuique administrant; immediatè subjungit = *Similiter eadem voce, ac jure suffragii spoliatos esse statuimus, qui habentur, & vocantur Priores in Doctrinis, & Parochiis, nisi Conventus, sivè Domus, quibus præsunt, tres ad minus Religiosos, de Familia substentaverint.* En, ut Domus dicatur Conuentus, & qui ei præest sit propriè Prior, cùm voto in Capitulis, sufficiunt tres Religiosi de Familia. Et licet hoc Decretum pro dicta Prouincia sit expeditum, etiam Prouinciis Quitensi, & Chilensi deservit, ùt expresse dicitur in eisdem Decretis *pag. 84. tit.* = *Pro Quitensi, & Chilensi Provinciis.* Ex quo liquidò eruitur, quod in Prouinciis Granatensi, Quitensi, & Chilensi sufficit trium Religiosorum familia in Conuentibus, ut hi talium priuilegiis fruantur, & eorum Priores Voto in Capitulis. Quod peculiariter etiam competit Prouinciæ Chilensi ui alterius priuilegii *infra n.47.* referendi.

45 Nec est prætermittendum, sed potius seria reflexione inculcandum quod Conditores tam dicti Decreti, quam aliorum in relato Capitulo Generale efformatorum, fuere undecim Patres ex gravioribus Ordinis (ex Commissione totius Deffinitorii Generalis), occulatissimi, ac omnigena Doctrina eximii, diversarum Nationum [quorum tres fuerunt ex Assistentia Hispaniæ), ut aperte liquet ex illorum subscriptione in Codice dictorum Decretorum Romæ recuso *Typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ anno* 1686. Præsumendume erit, dictos Patres citata Brevia Clementis VIII., & Pauli V. familiam 8. Religiosorum præscribentia, pro Voto Priorum, aut penitus ignorasse; aut scienter, sed inconsulte, contra illa statuisse? Minime gentium: quia similis suspicio, tam eis, quam pleno Deffinitorio Generali maximam injuriam impingeret: *argum. C. Bonæ. 36. de Elect. Cap. sicut. 16., de Sent., & rejud., & leg. Injuriam ff. de Injur.* Vnde verisimilius judicare debemus, in vim citati Brevis Clementis IX. relatum Decretum efformasse, vel aliunde scivisse anteriora Brevia pro dictis Provinciis (attenta Religiosorum paucitate], quoad numerum familiæ in quovis Conventu collocandæ, & quoad ejus Prioris votum, esse dispensata.

46 Sit aliud Documentum Breve Clementis XI. incipiens *Nuper pro parte*, expeditum *die 2. Iulii 1712. In Bul. Romano novissim. tom. X. Const.74. b. Pont. pag.323.* quo expresse revocat omnia anteriora per suos Prædecessores expedita, in subjecta materia, & no-

& nominatim citatum Pauli V. ac simul præcipit, quod in Provinciis novi Regni Granatensis Ordinis Prędicatorum habeantur ut tales, Conventus, qui *sex*, *quatuor*, aut *duos* Religiosos de familia habuerint, & consequenter, quod eorum Prælati gaudeant voto in Capitulis. Hoc Breve fuit exhibitum Concilio Supremo Indiarum pro *Regio exequatur*: sed sub die 3. *Martii* 1713. fuit retentum, & Sanctissimo supplicatum in forma ordinaria, ut testatur dictus Valenzuela *loc. cit. num.*77. Sed idem Clemens sub die 11. *Octobris* 1713. aliud Breve exp edivit: Incipiens = *Alias pro parte* = *Ibid. Const.* 192. *h. Pont. pag.* 348., quo statuit, ut in Conventibus Indiarum servetur consuetudo, ut habeant Votum in suis Capitulis eorum Priores, quamvis non habeant de familia Octo Religiosos continuæ assistentiæ, derogando, hac in parte, dicto Brevi Pauli V.; aliisque in contrarium facientibus. Et istud Breve non fuit retentum, nec supplicatum per Concilium Supremum Indiarum; sed cum ei fuisset porrectum pro Regio exequatur, die 22. *Februarii* 1715. providit: ut pro resolutione capienda accumularentur antecedentia, una cum alio Brevi emanato 2. *Julii* 1712., quod fuerat retentum. Dein neque ab Ordine Prædicatorum (a quo erat exhibitum) neque ab aliis Ordinibus prosecuta est instantia: & sic usque ad annum 1737. [quando citatus Author hæc scribebat) absque ulla novitate permanet. Totum hoc d. Valenzuela refert *loc. cit. num.*78., *&* 79. Idipsummet denuo concessit idem Clemens XI. sub diebus 16., *&* 21. *Junii* 1713. *Ibid. Constit.* 183., *&* 184. *pag.* 334., *&* 335. Necnon Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium ex Commissione Sanctissimi idipsum decrevit diebus 21. *Novembris* 1707. 20. *Julii* 1708. 10. *Junii* 1712., *&* 16. *Martii* 1713., ut in citatis Brevibus refertur.

47 Aliud] denique documentum sit Breve Clementis XII. incipiens = *Exponi nobis nuper fecerunt* = sub die 19. *Julii* 1734. *In cod. Bull. tom. XIV. Constitut.* 14. *h. Pont. pag.* 1., *&* *in Bull. Prædicat. tom.* 7. *Constitut.* *pag.* quo statuitur pro nostris Provinciis Peruntina, & Chilensi, & Peruana Ordinis Prædicatorum. Quod earum Conventus etiamsi octo Religiosos de familia non habeant, nec alere possint, in omnium suorum privilegiorum possessione permaneant, & eorum Priores voce activa gaudeant in Comitiis Provincialibus, non obstantibus Pauli V.; aliorumque Prædecessorum suorum Literis, per quas determinatus Religiosorum numerus in Monasteriis præscribitur, queis omnibus hac in parte derogat. Et etiam reperitur hoc Breve in *Bull. Prædicat. Tomo VII. Const.* *pag.*

48 En quot Brevia citatorum Clementis VIII., & Pauli V. revocatoria, vel controversæ dispositionis (nempe determinatæ octo Religiosorum familiæ in Conventibus, ut eorum Priores voto fruantur) dispensatoria. Et hoc potuisse facere Summos Pontifices posteriores, est indubitatum *ex C. Non debet de Consang.*

 & *affi-*

& assiuit. C 2., & 3. de Censib. in VI., *& C. Innotuit 20., de Electione* generaliter notatur, & ex Communi, ac certa Doctorum sententia dictis supra *num.*42. Imo, & de hoc dubitare, instar sacrilegii esset: *Argum. leg. Dubitare 3. C. de Crim. Sacril.* Et citatorum Brevium Clementis XI., & XII.; necnon Decretorum Sacræ Congregationis Patres Magistri contrarii non valent allegare ignorantiam, cum reperiantur apposita in Bullario Romano novissimo, quod ab undecim annis stat in Bibliotheca Conventus Sancti Iacobi; ac etiam in Bullario citato Ordinis Prædicatorum. Imo, ultimum Clementis XII. fuit citatum a Patribus Prioribus in Libello Patri Præsidenti, & Iudicibus Causarum exhibito *In Instrum. signat. litt. A.* & quando de illo sciebant Priores a Conventu S. Iacobi distantes, fit incredibile, illud ignorasse Patres Magistros ibi degentes.

49 Et cum hoc ita sit (ut certum suponimus) oportet, ut mysterium requiramus, cur anteriora Brevia Clementis VIII., & Pauli V., etsi ea minime vidissent dicti Patres Magistri, fuere sufficientia ad illorum conscientias taliter vexandas, ut pro eorum executione nullum lapidem [etiam suo statui dissonum] immotum reliquerint; & posteriora Brevia Clementis IX. XI., & XII necnon Sacræ Congregationis Decreta, anterioribus contraria, ipsis nota, non sufficiunt ad sedandum suarum conscientiarum remorsus? Si illorum obedientiæ prætextu jam Provinciam miserrime turbaverant, & in monstrum biceps anno 1728. reduxerant (contra *C. Quoniam in plerisque 14. de Offic. Iudic. Ordin.*, & quod natura abhorret, & Ius respuit. *Can. In apibus 7. quæst. 1.*) cur istorum obedientiæ intuitu, paci Provinciæ restituendæ non consulunt? Si prohibitio inducta per priora Brevia ipsis dubium ingessit de validitate electionum, queis Priores interessent, quare habilitas suffragandi restituta Prioribus per posteriora Brevia hujusmodi dubium non depellit? Forsan obedientia Sanctionibus Apostolicis debita est commendabilior, & urgentior respectu illorum Brevium, quam istorum? Minime. Cur autem illorum obedientiam extollunt, & totis viribus in eam propendunt, & istorum negligunt, & tam acriter pro eorum inobservantia contendunt? Responsio est adeo clara, & aperta, ut etiam sit lippis, & tonsoribus obvia. Quia priora Brevia eorum intentioni quoad Priorum exclusionem patrocinari videbantur, secus vero posteriora, cum essent tali intentioni aperto contraria, ideo illorum executionem, & observantiam affectata obedientia prosequuntur, minime vero istorum.

50 Indubie hucusque isto §. VIII. dicti Patres Magistri respondebunt, citata Brevia Clementis XI.; & XII., ac Sacræ Congregationis Decreta, haud habuisse usquemodo *Regium exequatur*; sed esse, aut suspensa, aut retenta, aut per Concilium Supremum Indiarum supplicata: quapropter nequeunt ad praxim reduci. Cum pro hoc fine opus sit, ut dictum *Regium exequatur*

præ-

præcedat, ex præscripto legum 2. 3., *&* 25. *tit.9. lib.1. Recopilationis Indiarum*, *&* *leg.* 55. *tit.* 7. *lib.* 1. *ejusdem Recopilationis*.

51 I. Respondetur, verum esse ex citatis Legibus, Bullas, Brevia Apostolica, ac Sacrarum Congregationum Decreta pro Indiis emanata, priusquam executioni mandentur, egere *Regio exequatur*. & eo non habito, ab Archiepiscopis, Episcopis, & Regiis Ministris posse detineri, suspendi, & ad Concilium Supremum Indiarum remitti, prævia supplicatione ad Sanctissimum, & Sanctam Sedem, ut in citatis legibus expresse disponitur. Et hoc in illis stricte præcavetur, ne ex aliquibus Literis Apostolicis sub, vel ob reptitie obtentis, aliquod damnum quieti publicæ, aut Communi statui Regni, vel juris Tertii obveniat, seu præjudicium Regali Patronatui, vel Regiis præminentiis inferatur, ut clare eruitur ex legibus 1.; *&* 4. *tit.9. lib.1. Recop. Indiarum*; & tenet Ribadeneyra (modernissimus, & acerrimus Regii Patronatus Indiarum propugnator & vindex] *in Manual. compend. Reg. Patron. Ind. Cap. XI. num.*80. Verum, licet citatæ leges, videlicet = 55. *tit.* 1., *&* 2. 3., *&* 25. *tit.9. lib.1. Recop. Indiar.* generaliter & absolute loquantur quoad dictam retentionem, executionis suspensionem, & supplicationem ob defectum *Regii exequatur*: tamen *lex.1. tit.9. lib.1. de Recop.* disponit: Omnes Litteras Apostolicas ad normam Sacrorum Canonum a Sanctissimo super negotiis, & materiis Ecclesiasticis, & pure spiritualibus emanatas, debere custodiri, adimpleri, & exequi: illis dumtaxat exceptis, quæ in derogationem, aut præjudicium fuerint Regalis Patronatus, vel Regiarum præminentiarum. Et in dispositione taliter modificata etiam concordat *lex.* 4. *ejusd. tit.*, *& libri*, necnon *leges* 24. 26., *&* 28. *tit.3. lib.1. Recop. Castellæ*, tantum statuentes retentionem, & supplicationem Bullarum, quæ aliquomodo Regiis præminentiis præjudicant, minime vero aliarum. Quod optime advertit, & ponderat dictus Ribaden. *loc. citat. num.*86., *&* 89.

II. Unde in vim citatæ Legis 1. *tit.9. lib.1. Recop. Ind cum concord.* immediatè relatis tantum sunt supplicabiles Litteræ Apostolicæ, quæ alicui Regiarum præeminentiarum sunt opposi tæ, & non illæ, quæ dictis præminentiis haud præiudicant, & aliundè agunt de rebus merè Ecclesiasticis, & Spiritualibus, ad normam Sacrorum Canonum. Ita etiam tenet cit. Auth. *n.*92. Et cum Votum Patrum Priorum in Comitiis Provincialibu haud sit Regiis præminentiis oppositum, aut quidquam præiudicii illis inferat, & aliunde sit materia purè Ecclesiastica, & spiritualis, ex dictis supra §. *VI. n* 36. *IV.* fit inde, ut citata Brevia Clem XI., & XII., & Sacræ Congregationis Decreta, jus electivum Prioribus restituentia, etiam si familiam 8. Religiosorum non habuerint, ex tali Capite haud valent inficiari, & ab executione repelli. Et sic

d. Ri-

d. Ribaden. *l. cit. n.*241. ait: quod in nullo ex Authoribus à se visis, qui fundant, licitas esse hujusmodi retentiones, & supplicationes, aliquem reperit, qui eas in casu Dispensationum Matrimonialium permittat. Et non ob aliam rationem infert *n.* 92. *&* 93., nisi quia dictæ Dispensationes Regiis præminentiis non præjudicant, & aliunde sunt materia purè Ecclesiastica & spiritualis, ut est decisum in Concilio Coloniensi. *II. part.* 7. *cap.*46. & Trident. *sess.*24. *de Reform. cap.*3.

III. Quapropter hac in parte non est quò cæspitet conscientia delicatior. Nam, ut docet Emman. Rodrig. *tom.*1. 99. *Canon. q.*25. *art.*2. Constitutiones Pontificiæ, etsi non habeant dictam conditionem *Regii exequatur*, non ob id apud Religiosos carebunt vi, & vigore in utroque foro, interno, & externo. Tum citat Dominus Ioann. Solorzano de *Iur. Indiar. tom.*2. *c.*26. *n.*30. *&* 31., *& in Polit. Indiar. lib.*4. *c.*26. *num.*19., quamvis contrarium teneat. Sed ratio qua ipse movetur (tanti viri venia) licet in foro externo civili (interveniente Regiorum Ministrorum contrarietate) possit habere locum, ut infra *num.*53. dicemus: minimè verò pro foro interno conscientiæ. Primæ Sententiæ aliqualiter favere videtur d. Ribaden. Nam *loc. cit. num.*91. hanc quæstionem excitat; sed eam non audet decidere, ut expresse *num.*92. fatetur, & per tres alios numeros suæ indifferentiæ rationes adducit. Et acerrimus hic Regii Patronatus assertor, anceps haud hæsisset, nec quæstionem sine decisione finisset, si Doctrinam Rodriguez magna probabilitate fultam non agnosceret, præsertim, cum pro contraria militet Solorzano, inter Scriptores Regnicolas eximiæ authoritatis Vir.

52. I. Certò nescimus quem finem, & exitum in Concilio Supremo Indiarum citata Brevia, & Decreta habuerint, nisi quod manet dictum *supra num.*46. Et licèt sciamus, citatum Breve Clemen. XII. sub die 19. Iulii 1734. expeditum, fuisse retentum in Concilio Supremo Indiarum, ut constat ex Regia Scheda emanata die 28. Decembris 1739., & Provinciali, & Communitati Conventus Sancti Iacobi die 24. Iulii 1741. intimata, vi cuius ordinabatur: quod non obstante d. Brevi, observarentur tam citatum Breve Pauli V., quam anteriores Schedæ super eius executione emanatæ in Processu Regii Tribunalis pag. 12., & 54. à tergo; Tamen nescimus, an d. Breve Clem. XII., & alia anteriora citata sint supplicata; & si fuere supplicata, reapsè nescimus, an Summus Pontifex dictæ supplicationi annuerit. Quo dubio stante, haud tenet Doctrina supra §. *V. num.*26. *II.* tradita, quin potiùs contrarium tenere debemus, primò, quia ex iterata posteriorum Brevium, & Decretorum emanatione in subiecta materia manifestè eruitur, Summos Pontifices, Sacramque Congregationem in præcedenti voluntate, & intentione perstitisse, & gratiam concessam, tàm quoad diminutionem familiæ in Conventibus, quam quoad Votum Priorum, etsi octo Religiosos, de familia non habuerint, continuare voluisse; consequenterque

suo:

suorum Prædecessorum Literis contrarium statuentibus, vel derogasse, vel super illis hac in parte dispensasse. Papæ enim Iure applicatur, quantum ad Constantiam, in privilegiis concessis illud, quod debeat esse sicut lapis angularis, aut sicut polus in Cælo. Baldus *vol.1. consil.377. num.4.*, & alii apud Barbosam de *Iure Eccles. lib.1. c.2. n.115.*

II. Secundò quia huiusmodi Brevia Apostolica nequeunt retineri, aut suspendi, nisi prævia supplicatione ad Sanctissimum quæ est qualitas, quæ indispensabiliter debet præcedere, ut expresè disponitur *in Lege 2. tit.9. lib.1. Recopil. Indiar.*, & hoc, ut Regiæ præminentiæ serventur illæsæ, & ne contraveniatur *cap.14. Bullæ in Cœna Domini*, ut ait Ribaden. *loc. cit. num 83.*; Et huiusmodi prævia supplicatio ad Summum Pontificem, & Sanctam Sedem interposita, apud ipsum, & ipsam debet legitimè prosequi, ut expresè dicitur *cit. cap.14.* ibi = *Nisi supplicationes huiusmodi coram Nobis, & Sede Apostolica legitimè prosequantur*. Quod requiri videtur, ut ab eius Censurarum incursu præcaveatur, ait d. Ribaden. *l. c.* Et cum hucusque haud constet, dictorum Brevium supplicationem coram Summo Pontifice, & Sede Apostolica legitimè fuisse prosequutam; quin potiùs ex repetita posteriorum Brevium emanatione contrarium eruatur: fit inde, ut prò præsenti casu est planè inutilis Magistrorum responsio.

53. Non diffitemur, quod quousque citata Brevia, & Decreta habeant *Regium exequatur* in foro externo, & Civili, Regiorum Ministrorum jussibus parere debemus, quoad exclusionem Patrum Priorum à Comitiis, quoties dictam 8. Religiosorum Familiam non habuerint. Sed si sumus certi de Dispensatione Pontificia, & de restitutione vocis activæ per subsequentia Brevia facta Prioribus Conventuum, quamvis dictam familiam non habeant; & aliundè Regii Ministri nec contradicant, nec quidquam adversus dictos Priores apponant: non est cur in foro interno conscientiæ scrupulis angamur, dubitantes de validitate, & legitimitate electionum, queis Priores intersint. Quia si vox activa in Comitijs fuerat ipsis ablata per priora Brevia, per posteriora modò est ipsis restituta, de quo non licèt dubitare ex dictis supra *num.42., & 48.* Attamen est non tantum ponderatione, sed etiam admiratione dignum, quod dum nec Episcopus, nec Ministri Regii (pro observantia anteriorum Brevium, & Schedarum Executores assignati), nec minimum verbum super re loquebantur, nec forsan cogitabant, ipsimet Religiosi in Sacra Theologia Magistri, sui Status, & Gradus immemores, dictos Ministros adversùs Priores excitare, ac veluti expergefacere procurent. Imo, & Executorum Brevium, & Schedarum, ac Regiorum Ministrorum larvam assumentes, (seu proprius usurpantes) in Iudicium, seù examen de habita familia in Conventibus Priores vocare contendunt, ac præproperè è Comitiis ejicere, & pro dicto fine, tàm per quatuor Religiosos Juvenes, quàm per se,

ad

ad Regium Tribunal tanquam *Delatores* recurrunt, ut ait Fiscalis Regius in *duabus suis Responsionibus datis die 1. Februarii* mane, & in alia data eodem die vespere, eorum instantiam vocat *delationem formalem*. In Processu Regii Tribunal. pag. 54., & 83. Erit nè totum hoc zelus obedientiæ Sanctionibus Apostolicis debitæ? Erit desiderium pacis habendæ in Comitiis? Erit denique studium, observantiam regularem sartam tectam servandi, & validitati electionum consulendi? Totum hoc dicti Patres Magistri buccis crepantibus persuadere conantur, sed nullus mentis compos [nisi partium studio obcæcatus) temerè verba fundet. Vnde non carent culpa [& quidem gravissima], dum tanta Provinciæ pernicie, nec ad se non pertinenti, se commiscent. *ex. C. Non est* 19., *de Regul. Iur. in VI.* cui concordant *C. Tua* 19., *de Homicid. & L. Culpa est* 36. *ff. de Regul. Iur., & Comm. DD.*

54. Sed est notandum, quod hucusque dicta pro Dispensatione habita per Brevia Clem. XI. XII., & Sacræ Congregationis Decreta, ex abundantia sunt dicta, utpote pro casu præsenti innecessaria, quia nunc in omnibus Provinciæ Conventibus erat 8. Religiosorum Familia; constat apertè ex Actis Capitularibus præteriti Capituli; & Inst. authen. sign. litt. A., quam præscribebant anteriora Brevia Clem. VIII., & Pauli V. & dumtaxat hæsitari poterat, de continua eorum assistentia, id est de modo, quo hæc sit accipienda, & intelligenda. Quia si hæc *continua assistentia in Conventibus* salvetur modo à nobis superius indicato §. *VII. à num.* 38. *ad* 41. *inclusivè* [ut est verisimilius ut ita intelligatur) indubiè tunc relatis Brevibus verè, & propriè obtemperatur, quin opus sit ad posteriora Dispensationis recurrere. Si verò sit accipienda & intelligenda modò novitèr per Patres Magistros machinato & conficto, tunc solum ad posteriorum Brevium Clemen. IX. XI., & XII. obedientiam, recursum habebimus, & suppetias petemus. Sed isto modo dictam continuam assistentiam esse accipiendam & intelligendam, nec Brevia Pontificia, nec Regiæ Schedæ exprimunt, aut aliqualiter innunt; quin potiùs omnium Provinciarum illius Regni praxis in contrarium stat, ex dictis *loc. cit. num.* 40. *II.*; à qua non est recedendum, ut effræni dictorum Magistrorum cupidini morem geramus.

§. IX.

55. Obiicient tertiò = Inter casum in Constitutionibus editionis antiquæ præventum [à nobis supra §. *II. num.* 9. *I.* transcriptum); & emergentem in Provincia Chilensi plures adsunt differentiæ: Igitur dispositio illic data præsenti casui nequaquam suffragatur. Antecedens probatur differentias assignando, quarum prima sit, quia in casu Constitutionis omnes Gremiales sunt præsentes, & personaliter in scrutinio intersunt = non ita sex Priores in præsenti casu. Secunda, quia in casu illic figurato tantum fit accessus in tertio scrutinio, in nostro autem fieret in primo scruti-

nio;

ni o imo & ante ipsum = Tertia, in primo casu, post publicatione m primi, & secundi scrutinii, in nostro, non solum publicationem scrutinii præcessit, sed fuit ante omne scrutinium. Igitur inter utrumque casum &c.

56 I. Objectioni respondetur, verum esse inter vtrumque casum relatas stare differentias, sed eas contractioni doctrinæ, non obstare, sed potius eam faciliorem efficere, de qualibet sigillatim discurrendo, patebit. Prima enim assignata differentia non obstat, quia dicti sex Priores erant in domo Capitulari præsentes, & electionibus Iudicum causarum concurrerant, et si postea tempore electionis Prouincialis, & scrutinij a loco loci abfuere, non fuit ob eorum negligentiam, & culpam, aut quia Voto sponte cesserint, sed quia ex injuria fuere ejecti, modo pluries relato. Quapropter non debent censeri absentes, & à suffragio alieni, sed, fictione juris, electioni, & scrutinio præsentes. Et si Vocalis qui est in Ciuitate, Oppido, vel loco, vbi est facienda electio, sed propter infirmitatem, vel aliud simile impedimentum haud potest scrutinio, & electioni physice ac personaliter interesse, non censetur absens, sed potius præsens, prout ex Panormit., Innoc., Felino, Angelo, Siluestro, Azor, & aliis docent Passerin. *de Elect. cap.* 28. *quæst.* 9. *num.* 43., *&* 44. Sigism. de Bonon. de *Elect. dub.* 9. *num.* 2., *& dub.* 26. *num.* 2. Lezana *in Summ. tom.* 2. *vers. Electio num.* 99., *&* 106. *& tom.* 1. *part. prima cap.* 15. *num.* 8. Potiori Iure dicti Priores non debent censeri absentes, sed præsentes, cum essent in domo Capitulari, & tantum à loco scrutinij inuoluntarie abessent, ob dictum motiuum. Et qui casualiter abest, abesse non dicitur, *leg. Quæsitum* 78. §. *fin. ff. de leg. III.*, Gonzalez super *Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 74. *num.* 4., vbi jura, & DD. congerit. Vnde Passerin. *loco cit. num.* 44., inquit, *Et praxis est, vt sine dubio impotentes, & in domo electionis existentes censeantur præsentes, si non sunt in Capitulo; Ad quam impotentiam reducitur, si justa existente causa superior præcipiat alicui, vt maneat in camera, vel in Claustro inferiori, vel non ingrediatur Capitulum, vt hoc modo vitentur, quæ forsan imminerent magna scandala.* Nil expressius poterat dici pro præsenti casu.

II. Nec secunda differentia assignata doctrinæ contractionem eneruat. Quia in casu Constitutionis supponitur tempus sufficiens ad tria illa peragendum scrutinia: quapropter in tertio scrutinio potest fieri accessus. At in nostro casu tale tempus non erat. Tum, quia terminus peremptorius pro electione Prioris Prouincialis jam erat fermè elapsus, tum etiam quia tumultuatio Patrum Magistrorum (de qua in *relatione Facti num.* 21.) alterius scrutinij celebrationem non permisit; Tum denique quia illic Electores supponuntur physice præsentes, & sic tali tempore poterant aliis accedere. Hic verò Priores è Capitulo ejiciebantur, & nec primo scrutinio interesse poterant, idcircò, antequam exirent, suam intentionem quoad Votorum suorum collationem

de-

declararunt, modò quo poterant, & jus eis permittebat. Nec ob hoc de eorum validitate licet dubitari. Primò: quia lex non obligat, quando non potest seruari. *C. Erit autem lex. dist.* 4. *leg. fin. ff. quæ sent. sine*, *&* *leg. Ita autem ff. de adm. tut.*, *&* *Comm. DD.* Secundò, ex quadam Regula à Doctoribus recepta, nimirum = *Actus quando non valet eo modo quo fit, valet eo modo, quo valere potest*. Quæ desumitur ex *C. Si Infantes vnic. de Desponſ. impub. in* vi., ac eam, vt certam supponunt Sanch. in *Decal. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 104., *&* 105., Lezana in *Summ. tom. primo cap.* 2. *num.* 288., *&* *tom.* 4. *conſ.* 5. *num.* 37., *&* *conſ.* 13. *num.* 48., & alii. Cum potius interpretanda sit res vt valeat, quam vt pereat *argum. C. Abbate* 25. juncta Glossa *ver. Valere potius de verb. signif. leg. Item veniunt* 20. §. 6 *ff.*, *de Agredit. petit.*, Roland. à Valle *conſil.* 61. *num.* 23. *lib.* 3., Lezana *tom.* 1. *cap.* 15. *n.* 68., & alii. Nec verè potest dici, quod dictorum sex Priorum vota accesserint ante scrutinium, quia etsi ante illud suam voluntatem, & intentionem expresserint, accedendi ei, in quem plures voces consentirent; tamen actualis accessus non verificatur, nisi peracto, & publicato scrutinio: cum solum tunc possit sciri, in quem ex Candidatis plures voces consenserint. Et huc intrat Regula ex *C. de Vxore* 7. *de Sepultur.* desumpta; videlicet, quod dispositio facta tempore inhabili subsistere possit, si in tempus habile refertur. Et sic declaratio intentionis tantum fuit, quæ scrutinium præcessit, minimè verò actualis accessus.

III. Nec tertia differentia obest, ob rationes datas. Nam cum dicti Priores è loco loci ante inchoationem scrutinij fuerint egressi, minimè poterant sua Vota vnire, & aggregare, publicato scrutinio. Qua de Causa id fecere, quando erant physicè præsentes, & ante quam ab Aula Capitulari exirent. Et in hoc casu minor difficultas quoad accessum relucet, quam in aliis Casibus supra §. 11. *num.* 8. *relatis*, ac in casu per Constitutiones Ordinis præuento, & *num.* 9. transcripto. Nam in istis verificatur accessus, re jam non integra. Glossa in *C. Publicato* 58. *verſ. Variare de Elect.*: Cum electio fuisset incæpta, & Vocales sua vota personæ determinatæ dederant, à cujus nominatione opus est resilire, vt alteri per accessum faueant; & totum hoc fit post publicationem scrutinij, quod videtur apponi *cit. C. Publicato*, ejusque Glossæ; & *C. Nulli licere* 8. *de Elect. in* vi., & ibi Glossa *verſ. Subsecuta*. Aliter res se habet in nostro casu: nam re adhuc integra vota sex Priorum vniuntur, & aggregantur pluralitati vocum; quin dicta vota ante alteri personæ fuissent collata, à cujus nominatione opus sit resilire. Igitur minus difficultatis relucet quoad accessum, in nostro casu, quam in aliis *loco supra citato* recensitis. Dicimus notanter, *re adhuc integra*, quia in Electionibus res dicitur integra, quando electio, nec est perfecta, nec inchoata *Argum.* à contrario sensu *C. in causis* 30. *de Elect.*, ac excit. Glossa in *C. Publicato*

erui-

eruitur, & tenet Passerin. de *Elect. cap.* 11. *quæst.* 9. *num.* 76.; et haud obscurè innuunt Const. Ord. 3. *par. cap.* 9. § 2. *num.* 4. & 6. & Decreta Capituli Generalis celebrati anno 1685. *tit. Declarationes num.* 11. *pag.* 44.

57 Ex dictis numero præcedenti sequitur, casum in citata Constitutione antiqua præuentum (transcriptum supra §. 11. *num.* 9.), & præsentem Prouinciæ Chilensis conuenire in dispositione principali (nimirum electionis per vnionem, seu accessum votorum); & tantum in assignatis differentijs, aliisque parui momenti, aliqualiter discrepare, quod validitati & canonicitati electionis minime præjudicat. Vnde dicta Constitutionis antiquæ dispositio hac solum in parte erit intelligenda, scilicet, vt seruetur modus ille particularis eligendi in ea præscriptus, quando fieri potest; non verò quando res est valdè difficilis, & moraliter impossibilis; prout erat in præsenti casu. Siquidem dd. sex Priores hunc eligendi modum suscipere coacti sunt, vt Prouinciæ, & Comitiorum paci prospicerent, vt majora scandala imminentia impedirent, ac tandem ne modicum superstes tempus sine electione elaberetur, attenta obstinata Magistrorum duritie pro illorum exclusione vt in simili tenet Lezana in *Sum. tom.* 1. *cap.* 15. *n.* 87. alios citans.

58 Objicient quarto. In electionibus expresse reprobantur Vota *Conditionalia*, *Alternatiua*, & *Incerta* ex *C. In electionibus* 2. *de Elect. in* VI.; & pro non adjectis habentur. Id ipsum tenet Glossa ibi *ver. In electionibus*. Et eadem *ver. Conditionalia*, inter vota conditionalia refert ista = *Consentio in A., si habuerit majorem partem Capituli; vel si Decanus in eum consenserit*. Et *ver. Incerta*; interea istum modum eligendi numerat = *Eligo illum, quem Archidiaconus eliget*. Et cum accessus in electionibus fieret per Vota *conditionalia*, & *incerta*, cum accedentes majori, vel æquali parti ignorent, cuident sua vota. Imo sic suffragari videntur = *Eligo illum, quem major pars elegerit*: quæ est forma per ipsam Glossam rejecta. Igitur, dictus modus eligendi per vnionem, aggregationem, seu accessum non est admittendus.

59 I. Respondetur, verum esse, Vota *Alternatiua*, *Conditionalia*, & *Incerta* non valere, eo quod certum consensum non exprimant; & merito in jure reprobari, & pro non adjectis haberi, vt ait Glossa *in cit. cap. In electionibus verf. Inter certa*. Idemque de Votis, *vagis*, *inutilibus*, & *in albo* discurrendum tenet *Comm. sententia*. Vnde solum electionibus pro sunt vota absoluta, pura, determinata, & gratuita, ex *dicto cap. In electionibus*; vbi Glossa, & *Doctores*. Negamus tamen, suffragia accedentium ad vota *conditionalia*, & *incerta* esse reducenda. Non accedentes, seu eligentes eum, quem jam plures nominarunt, nec dant votum indeterminatum, seu incertum, nec conditionatum: Cum eligant absolutè certam & determinatam personam, nempe eam, quæ in scrutinio majora vota reportauit,

quam-

quamque, vtpotè à pluribus jam nominatam, rationabiliter præsumunt, ac judicant esse dignam & habilem. Aliter discurrendum de formula per Glossam relata; nam cum illa suspendat electionem pro futuro, donec videlicet Archidiaconus quempiam eligat, reddit suffragium incertum, & sic inualidum. Ita respondet Reinff. *lib. primo Decretalium tit.6. §.12. num.308.*

II. Sed dicto exemplo ex Glossa desumpto aliter valet satisfieri, nempè quod modus ille eligendi = *Eligo illum, quem Archidiaconus eliget*, non præcisè est incertus, & à Glossa rejectus, quia suspendit electionem pro futuro, vt ait Reinff., sed quia pendet à voto Archidiaconi, qui potest suum dare suffragium vno ex modis numero anteriori relatis, & à jure reprobatis, quo in casu eius votum totaliter deperderetur, & pro non adiectis haberetur; Et consequenter idemmet accideret voto illius, qui dicto Archidiacono quoad suffragandum adhæreret, & hac ex Causa illius votum diceretur incertum, quod euenire nequit in Accedentibus nunc, quorum vota vniuntur, seù accedunt maiori parti illorum suffragiorum, ex queis numerus validè eligentium consurgit: quapropter vitio votorum numero anteriori rejectorum minimè laborant. Vtraque hæc doctrina penitùs difficultate caret stando Constitutionibus Ordinis editionis antiquæ. Nam in illis (ex toties repetita Dispositione, *superius num.9.* transcripta) expresśè dicitur: quod ex accessu votorum in tertio scrutinio habeatur canonica electio. Igitur Accedentium Vota non sunt conditionata, & incerta; alioquin ex illis non posset resultare valida, & canonica electio. Nec est verisimile, Constitutiones Ordinis statuisse, Canonicam habere electionem per suffragia, quæ à Iure reprobantur, & pro non adjectis habentur. Et si in casu dictæ Constitutionis tenet doctrina, multoque melius in nostro, vbi Priores ejecti alitèr suffragari nequibat, quia iniustè impediebantur. Qua de Causa, nec defectus alicuius solemnitatis requisitæ est illis imputandus, vt voti beneficio priuentur ex *C. Imputari non debet. 41. de Regul. Iur. in VI. C. Cum non stat. 66. eod. L. In Iure Ciuili 161. ff. de Reg. Iur.* & ibi *DD.*

60 Objicient 5. In Ordine Nostro electio Prioris Prouincialis fit per Schedulas, sicuti electio Prioris Generalis, & ita per *vota secreta, vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur*, vt præscribit Tridentinum *Sess. 25. de Regul. C. 6.* Id ipsum terminantèr disponunt Constitutiones Ordinis *3. part. c. 2. n. 2. & 3., & c. 3. §.V. n.4.*. Sed hoc minimè est practicatum per dictos sex Priores, cum sua vota, non per Schedulas, sed oretenus dederunt, nec secretè, sed coram toto Capitulo, cui per consequens eorum nomina fuere publica. Igitur &c.

61 I. Respondetur, Priorum suffragationem non tantum fuisse oretenus executam, sed modo ipsis possibili ad scripturam redactam. Nam eodemmet libello, quo obedientiam præstarunt Patris Præsidentis Decreto, & Iudicum Causarum pro exitu ab

Aula

Aula Capitulari, & de factò exierunt, simul sunt protestati, quod sua vota vniebant pluralitati vocum, quæ in aliquem consenserint, modo dicto in *Relatione Facti num. X.* Vndè etsi per formales Schedulas, seù rigorosè tales sua Vota non dederint, ea tamen dedere per Schedulas æquiualentèr tales, ac in scriptis, modo quò tunc poterant. Quapropter deficientia Schedularum formalium, seù strictè talium, ipsis ad culpam nequit imputari, ex dictis supra *num. 59. II. in fine.* Imo adhuc in electionibus regulariter per Schedulas formales faciendis opus non est, vt vota dentur in scriptis, ità obsignata, vt nec Scrutatoribus electorum nomina innotescant, nisi aliter per Constitutiones Apostolicas, & peculiares Ordinis sit sancitum, vt optimè notant Pignatell. *tom. 10. cons. 77. n. 13.* Mathæucci *in Offic. Cur. C. 22. num. 11.* & alij. Pro nostra autem Religione hac super re nil adeò expressè, & rigorosè inuenitur præscriptum, vt eius omissio nullitatem electionis inducat, quin potiùs, quamuis Constitutio antiqua *in 3. part. C. 2.* citatum Tridentini Decretum strictè obseruandum præcipiat; tamen Capite immediato dispenit, quod quando in electione Prioris Generalis opus fuerit 2. & 3. Scrutinium repetere, facienda sint per ballotulas; Ex quo euincitur, quod adhuc in electionibus per Schedulas fieri solitis, talis circumstantia non est taliter necessaria, vt electiones sine illa factæ vitio nullitatis laborent.

II. Nec etiam officit electionis secreto si quis ex ignorantia, aut alio justo titulo, non scribat suum votum, sed ad Scrutatores accedens, oretenus, secretè tamen, vt à ceteris Capituli non audiatur, dicat = *Eligo in Priorem Prouincialem N. de N.* Et electionem censeri secretam, quamuis Electores viua voce, & non per Schedulas vota scripta referant, tenent Fagnanus *in C. Quia propter 42. num. 21. de Elect.* Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 5. num. 10.* Garzias. *de Benef. p. 5. c. 4. n. 190.* Barbos. *in Conc. Trid. Sess. 25. c. 7.* Sigism. de Bonon. *de Elect. dub. 26. num. 11. & 12.* Rodrig. *tom. 2. QQ. Canon. q. 52. art. 8.* Pignatel. & Matheucci *ll. cc.* Reinffenst *lib. 1. tit. 6. § 5. n. 137. & §. 14. à num. 332.* Passerin. *de Elect. c. 17. q. 2. num. 5. & 6.*, estque aliorum. Sicut secretæ, Canonicæ, ac validæ sunt apud omnes electiones per Moniales oretenus factæ, ex Concil. Trident. *Sess. 25. de Regul. c. 7.*, quod sæpiùs declarasse Sacram Congregationem Concilij referunt Garcia *l. c. & num. 91. & 289.* Barbos. *l. c.* Tambur. *de Iur. Ab. tom. 1. d. 5. 9. 6. n. 10.* Lezana *tom. 4. cons. 13. dub. 7. n. 61.* Passarin. *loc. cit.* & alij

III. Nec denique obstat, dictos Patres Priores publicè coram Capitulo sua vota dedisse, modo jam dicto. Quia quando Concil. Trid. & Constitutiones Ordinis præcipiunt, *vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur*: hoc non debet intelligi materialiter de nominibus Vocalium nudè sumptis, idest, vt in secreto maneat, qui sunt Vocales, eorumque nomina, cum hoc sit impossibile: quia ipsi publicè Capitulo, & electionibus

in-

interſunt ; & ad hoc præuiè ſunt conuocati, & in Aula Capitulari ſingulatim nominati, vt eſt certum ex Conſtitutionibus Ordinis. Et ſic ſecretum præſcriptum dumtaxat reducitur ad nomina eligentium formalitèr, & prout jam ſua vota includunt, ideſt, vt non publicetur nomen alicuius electoris, vt certò inde ſcire poſſit, cui ſuffragium dederit: Et ſic totum ſecretum reducitur ad hoc, vt non ſciatur perſona, cui Electores iſti ſua vota conferunt, vt tenent Lezana, & Matthæuc. *ll. cc.*, & Schmalzg. *lib.* 1. *Decret. tit.* 6. §. 4. *n.* 39.. Et ità in facti contingentia Sacram Congregationem declaraſſe in hac forma = *Ante, vel poſt Scrutinium Electoribus nullo modo licet, cui votum dederint, publicare* = refert Garziaſ. 5. *p. de Beneſ. c.* 4. *n.* 196. & ex eo Paſſerin. *l. c. q.* 3. *n.* 34.. Primo modo ex iſtis fuere publica Patruum Priorum nomina, minimè verò ſecundo, niſi poſt publicatam Electionem. Quia cum tunc ſciretur perſona, in quam plures voces conuenerant, à fortiori debebat ſciri, dictorum Priorum vota illis acceſſiſſe. Sed tunc nil refert, quod dicto modo ſciatur. Nam quando aliquis concorditèr eligitur à toto Capitulo, certum eſt, electionem eſſe ſecretam, & Canonicam, & tamen notum eſt omnes Electores in electum conueniſſe.

IV. Præterquamquod tùnc ſolum electio eſt nulla ex defectu *ſecreti*, quando Vota publicantur ex culpa, vel dolo totius, vel maioris partis Capituli, vt docet *Communis Sententia*: Vel quando manifeſtatio vnius, vel plurium Votorum eſt Cauſa realis, vel præſumptiua, quod electio in hanc, vel illam particularem perſonam ſequatur, vt ex Nauarro, Rodriguez, Caſtellino & alijs, rectè notant Paſſerin. *l. cit. q.* 3. *n.* 9. *&* 13. Moronus *in Reſponſ. reſponſ.* 72. *n.* 16. Lezana in Sum. *tom.* 2. *V. Electio Regul. n.* 94. & Schmalzg. *lib.* 1. *Decret. tit.* 6. §. 9. *num.* 88.. Quæ non contingunt in propoſito, vt ex dictis liquido conſtat.

62 I. Obicient 6. Dicti ſex Priores tandèm fuere è Comitijs ejecti per Decretum Patris Præſidentis, & Iudicum Cauſarum: Igitur illis non remanſit Ius eligendi, alioquin inutilis fuiſſet eorum ejectio. Et inſuper hęc in dictos Magiſtros haud eſt refundenda. Reſpondetur, quod Pater Præſidens (de conſenſu Iudicum Cauſarum) hujuſmodi protulit Decretum extrema neceſſitate compulſus, vt tali modo Prouinciæ, & Comitiorum paci conſuleret, alijſque malis *in Relatione Facti n. X.* expreſſis obuiam iret. Et ſimul quia dicti Patres Magiſtri alio medio nequibant acquieſcere, & ad electionem Prouincialis venire, & terminus pro electione peremptorius erat fermè elapſus, cum tres *horæ cum dimidia* dumtaxat deficerent, (erat enim hora octaua noctis ferè cum dimidia, juxta computum Italiæ hora tertia noctis diei primæ Februarij), & nullum eſſet celebratum Scrutinium, aut eius celebrationis vlla affulgeret ſpes, ob effrænem dictorum Magiſtrorum reſiſtentiam, & tumultuariam aduerſus Vota Priorum inſtantiam. Vnde, ne modicum tempus pro electione Prouincialis ſuperſtes elaberetur, & Prouincia Iure

eli-

eligendi suum Prælatum pro ista vice maneret spoliata (ex quo maiora scandala, & grauiora damna timeri debuissent, vt optimè ponderat Reinff. *l. c.* §. 5. *num.* 119) ac simul Regiæ exortationi, de qua in Facto n. x. pareret: prudenter judicauit in similem prouidentiam abire, tanquam extremum remedium, quod temporis angustia sugessit.

II. Sed in dicti Decreti expeditione prouidè, ac prudenter processit, & modo, quo potuit, malis emergentibus, & emersuris occurrere studuit. Primò: Regiæ exortationi [vt par erat] morem gessit. Secundo: obstinatissimis Magistrorum instantijs, saltèm apparentèr indulsit, quia aliter nequibant acquiescere. Tertio: impedimentum pro prosecutione electionis ab ipsis molitum remouit. Quarto: possessionem Iuris eligendi Prioribus assistentem, sartam tectam seruauit, mediante illa Clausula præseruatiua (nempè = *Saluo tamen eorum Iure &c.*, vt in *Relatione Facti n. x.*) in Decreto apposita. Quinto: Dicta præseruatiua validitati electionis proximè faciendæ consuluit, quæ pœnitùs corrueret, si dictos Priores, Vocales legitimos, & vt tales jam qualificatos, è Comitijs absolutè ejecisset, ex dictis *sup.* §. 1. *num.* 3. II.. Quinto denique: Prouinciæ, & Comitiorum paci (quantum fas erat) prospexit, & si aduersa peruicacia oleum, & operam perdiderit, & optati finis concepta spes in fumum lacrymas mæroris extrahentem abierit.

III. Ex dictis evincitur, Patrem Præsidentem, & dictos Patres Magistros in Priorum ejectione omnimoda diversitate processisse. Nàm isti totis suis conatibus in Priorum exclusionem conspirarunt, & pro ea assequenda nullum lapidem immotum relinquerunt. Ille verò quantum potuit, viriliter restitit, & prò manutenendis Prioribus in sua Possessione juris eligendi indefesse laboravit. Isti per fas, & nefas Priores omninò ejiciendos volebant ut sua pars, quæ erat valdè tenuis, ex partis adversæ diminutione cresceret et sic solum agebant de damno Prioribus inferendo, & de lucro prò se ipsis captando. Ille verò Priorum ejectioni annuere, renuebat, ut Priorum, & electionum validitati prospiceret, & sic de damno vitando dumtaxat curabat. Isti denique (ut quam plurimas alias diversitates omittamus), omninò voluntariè dictam prætensionem juripuere, & prò tenuè continuarunt, quin prò ea obtinenda, diffidiis, perturbationibus, & scandalis parcerent. Ille autem dictis damnis occurrere solum studebat, & si extrema necessitate adactus Priores ejiciendos decrevit, fuit cum clausula præservativa *juris eligendi* superius indicata, & in *relatione Facti numer.* 10. transcripta, & virtute illius, juris electiui Priorum indemnitati consulvit. Hæc enim est natura præservationis, ut conservet jus præsentati, *argum. Cod. Insinuante* 7. *qui Clerici, vel voventes.* Et ex Barbosa, Decio, & Marth ait Lezana *tom.* 4. *cons.* 15. *numer.* 22. . Et talis est, quis clausulæ *salvo &c.*, quæ tuetur jus illesum, quod quis habet, proùt sentit Rota *Decis.* 610. *in fin.*

 in

in Collect. novifs., & tenet Lezana in *Marimagno Ord. nostri* §.29. *num.*91.. Vndè de primo ad ultimum sequitur, quod non obstante iniusta Priorum ejectione à Comitiis, in eis jus eligendi illæsum remansit, & huiusmodi ejectionem, non in Patrem Præsidentem, sed in Magistros fore refundendam.

§. X I.

63. Possunt dicti Patres Magistri ultimò obiicere, se multoties fuisse protestatos de nullitate omnium in Comitiis agendorum, ut apertè constat ex *Relatione Facti*, qua protestatione, seù protestationibus præmissis, nequeunt habere locum Patrum Priorum suffragia, nec eorum accessus pluralitate vocum in Patrem Magistrum Fruentes consentientium: Et consequenter, nec istius electio. Est discursus, quem dicti Patres forsan obiicient. Verum si [huiusmodi discursus quidquam probaret, potiori Iure contra eos militaret. Nàm probaret, omnia in Comitiis peracta fuisse invalida, & nullius momenti], et consequenter talem esse electionem Patris Magistri Leyba ab ipsis prętensam, & totis lacertis propugnatam. Quia si dictum ratiocinium valeret contra electionem illius majori numero vocum fulcitam, fortius teneret contra istius electionem vocum majoritate orbatam.

64. I. Dictæ obiectioni (si forte opponatur) respondetur protestationem frequentissime à Patribus Magistris interpositam (nimirum in omni actu, resolutione, ac determinatione suæ intentioni non congruentibus] valere, aùt ipsis posse suffragari, quia erat quædam protestatio informis, generalis, & vaga, absque aliqua formalitate Iuris, quin Causam illius in specie exprimerent, aùt prò ea aliquam rationem, vel motivum adducerent: Quapropter frivola, & nullius valoris censeri debebat *argum. C. inter cætera* 2. *C. Consuluit.* 18. *de appellat.*, *& C. cordi nobis* 1. *eod. in* 6.. Sed gratis dato, & minimè concesso, quod frivola non [fuerit, & prævié alicuius valoris extiterit, tamen per facta posteriora omninò evanuit, & fuit acsi non pręcesserit.

II. Primò quia quævis protestatio omninò cessat, & tollitur per actū postea factum dictæ protestationi oppositum *argum. C. Cum M.* 9. *de Constit. C. sollicitudinem* 5. *de appell C. Gratum* 20. *de Offic. Delegat.*, & ibi Glossa *in casu*, *& ve. Recessum, leg. Cum in plures* §. *Locator ff. locati*. Idipsum tenent Bartolus *in leg. Non solum* §. *Morte numer.* 17. *ff. de nov. oper. nunt.*, & ibi Iasson. *numer.* 14. Imola, Alexand., & alii nec non Tuscus, Oldradus, Baldus, Surdus, & alii apud Barbos. *in axiomat. Iur. axiom.* 194. *numer. primo* Reinffest. *lib. primo Decret. tit. primo* §. 10. *numer.*218., *& lib.*2. *tit.*5. *numer.* 11., & Lezana *tom.* 4. *consf.*47. *numer.*11., *&* 12., ac etiam Rota *decis.* 539. *numer.* 6. apud Farinac. *part.*2. *recent.*. Et cum certum sit, quod post tot

pro-

protestationes modo dicto interpositas dicti Patres Magistri fecerint plures actus relatis protestationibus contrarios, seù oppositos; Sequitur, ut per eosdem dictæ protestationes cessaverint, & in fumum abierint. Et quod huiusmodi actus effecerint, manifestè elicitur. Nàm postea, nec verbum dissere adversus vocem activam, vel passivam duo de viginti Vocalium in Aula Capitulari superstitum, post sex Priorum exclusionem, nec quando Pater Præsidens ex præscripto Constitutionis Ord. 3. *part. C.*9. §.3. *numer.*6. fecit protestationem solitam, dicens = *Si quis noverit causam, propter quam &c.*, nec quando processum fuit ad scrutinium, & electionem Prioris Provincialis, in relatis factis, nil contra opposuere: Quin potius, cum omnibus dictis Gremalibus absque ulla contradictione, aut protestatione, scrutinio, & electioni interfuere. Imò, biduo post electionem Provincialis, ad electionem Diffinitorum, & Visitatorum parimodo interfuerunt, una cum dicto Magistro Fruentes, ut Provinciali electo [. *Omnia relata facta constant ex Actis Capit.*, *& Testim. Auth. sign. litt. A.*) Et cum sit innegabile, dicta Facta esse anterioribus protestationibus contraria, & opposita, manifeste sequitur &c.

III. Quia si protestans in omnibus actibus protestationem non repetit, ab ea recessisse censetur Rota apud Paulum de Rubeis *Decis.* 29. *numer.* 19., *& decis.* 91. *numer.* 12. *tom.* 2. *divers.* alias *part.*6. *recent.*. Vel ad minus debet eam repetere in actibus principalibus, & solemnioribus; Nàm si tunc non repetat, censendum est ab ea recessisse, juxta doctrinam communem sæpius à Sacra Rota canonizatam, præsertim apud Seraphin. *decis.*502. *numer.*3., *&* 1057. *numer.* 2. Item aliæ apud Ludovisium *decis.*44. *numer.*8., & Cavalerium *decis.*348. *numer.*5. 349. *num.*6., *&* 483. *numer.*8.. Et firmat Barbosa *in Vot. decis. lib.*3. *Vot.*126. *numer.*310.. Et qui actus in subiecta materia principaliores, & solemniores præ immediatè relatis? Imò d. Magister Fuentes, tamquam Provincialis electus, non solum ad electionem Diffinitorum una cum dd. Magistris concurrit, sed etiam ex illo ut tali fuit compositum Diffinitorium plenum novem Patrum prò Priorum aliorumque Officialium electionibus, nec non efformatione Actorum ad regimen Provinciæ spectantium. *Constat. ex actis Capit.*, *& Testim. sign. litt. A.*, Igitur Patres Magistros in tot occasionibus protestationem prætermisisse, evidenter indicat ab ea recessisse: Cum facta derogent verbis, *ex dd. CC. Cum M. sollicitudinem*, *& leg. cum in plures*. Socin. jun. *Cons.*101. *numer.* 3. *vol.*2., & Mascard. *de probat. concl.*1242. *numer.* 3. ubi *AA.* congerunt.

IV. Et licèt gratis daremus (quod minimè concedimus) dictam protestationem, vel protestationes subsistere, & aliqualis esse valoris, eorum facto minimè faverent, nec ab incurrendis pœnis immediatè referendis excusarent. Venerab. enim Inno-

nocent. Papa XI. per Bullam incip. *Exponi nobis nuper* = *In Bul. R. novisf. tom.8. Const.36. part.74. 25. Martii* 1678. §. *II.* volens in Provinciis Americæ Ordinis Min. effrænem licentiam contra Superiores insurgendi, eisque debitam obedientiam denegandi compescere, statuit, quod si in dictis Provinciis electio Prioris Provincialis facta fuerit per suffragium secretum, a majori parte Electorum, & à Præsidente Capituli fuerit confirmata, omnes, & singuli religiosi cuiuscumque gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub privationis vocis activæ, & passivæ, ac graduum, & dignitatum, seù Officiorum per eos obtentorum, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ac etiam majoris excommunicationis pænis ipso facto incurrendis, teneantur, non solum ab alia electione Prioris Provincialis abstinere, sed etiam ipsi Provinciali sic electo, & instituto, secuta confirmatione præfata à Præsidente facta, debitam exhibere obedientiam tàm in temporalibus, quàm in Spiritualibus, *non obstante quacumque protestatione, aut appellatione, etiam post confirmationem huiusmodi facta, vel interposita de Iure*. Et ad hunc effectum ex certa scientia, & ex Apostolicæ potestatis plenitudine, suppletos intelligi, ac prò suppletis haberi vult omnes, & singulos alios defectus, etiam substantiales, Iuris, & facti, si fortè intervenerint in dictis electionibus. Et quoad omnes, & singulos Iuris effectus haberi, & judicari vult, tamquam legitimè, & canonicè factas, interim, & quousque ad Provincias prædictas respectivè Prioris Generalis Ordinis determinatio pervenerit, legitimeque de ea constiterit, & intimata fuerit quibus de Iure constare, & intimari debet.

V. N. Reverendissimus Dominicus Valvassorius dictæ Constitutioni Innocentianæ inhærens, quædam Decreta prò Provincia Quitensi, & cæteris Americæ expedivit, in quibus §. II. ità perpetuò statuit, declarat, & ordinat = *Quod si in prædictis Provinciis in personam, quæ tempore electionis in quasi possessione saltem probabili vocis passivæ electio Prioris Provincialis, vel Rectoris Provincialis, per scrutinium secretum, prout de jure faciendum, à maiori parte Electorum in Capitulo Provinciali, vel alias quomodolibet facta fuerit, Patres Præsidentes Capituli, & alii quicumque Superiores, in quibus auctoritas ordinaria, vel delegata confirmandi prò tempore quomodocumque resideat, prædictos, & singulos electos, ut supra, eorumque singulares electiones sine retardatione confirmare teneantur, non obstante quocumque defectu, etiam substantiali, vel quacumque protestatione, vel appellatione, sivè antè, sivè post huiusmodi electionem facta, vel interposita etiam de Iure* = En literalis d. Decreti dispositio = Et relata Reverendissimi Valvassorii Decreta confirmavit in forma specifica idem Venerab. Innoc. Papa XI. per Constit. pariter incip. = *Exponi nobis nuper sub die* 8. *Augusti* 1680. *Incit. Bullario tom.8. Constit.* 88. *pag.* 144. Ex textuali huiusce Decreti, & Bullæ confirma-

matoriæ tenore liquidò habetur, Electum in Provincialem per scrutinium secretum à majori parte Electorum, à Præside Capituli debere confirmari, non obstante quocumque defectu, etiam substantiali, vel quacumque protestatione, vel appellatione, sivè antè, sivè post electionem facta &c. Et si Præses Capituli sic electum tenetur confirmare: Consequens est, ut omnes Religiosi sic electo teneantur parere, & multo fortius si reapse ipsum confirmavit: Nec non sub pænis ipso facto incurrendis, in Decreto, seù §. 3. recensitis, adstringuntur, ne sub quovis motivo, causa, vel prætextu impedimento sint, quominus præsentes literæ suum integrum, ac plenarium in omnibus, & omnia sortiantur effectum &c., ut expresè dicitur in tertio dicto Decreto.

65 . I. Etsi utriusque dictæ Constitutionis Innocentianæ dispositio sit adeò aperta, & pro nostro casu expressa, ut nec contractione, aut ulteriori explicatione indigeat; nihilominus nonnulla in eis contenta brevi reflexione percurremus, ut quam proprie electioni Patris Magistri Fuentes congruant (adhuc si huiusmodi electio aliqua nullitate scateret) liquidius ostendamus. Primum, ut Provinciali sic electo plena obedientia exhibeatur, iuxta citatam Bullam, sufficit, ut in eius electione tres conditiones concurrant, videlicet Scrutinium secretum, à maiori parte Electorum, & Præsidentis Capituli confirmatio; et cum dictę conditiones tantum electioni Magistri Fuentes congruant, minimè Magistri Leyba, cui indubiè duæ ultimæ defuere: sequitur, ut illi, & non isti sit præstanda obedientia = Secundum exceptis trium dictarum conditionum defectibus, omnes alios, etiam substantiales Iuris, & facti, si forte intervenerint, de plenitudine potestatis supplet, & pro suppletis vult haberi, ut integrum, ac plenarium sua dispositio sortiatur effectum. Igitur, dum Patres Magistri contrarii cùm dictarum conditionum defectibus Provincialatum Magistri Leyba sustinere contendunt, eique obedientiam præstari conantur, plures defectus supplere præsumunt, quam Apostolicæ potestatis plenitudo supplevit, eòque suæ præcipitantiæ conamina extendunt, quò Sanctę Sedis amplitudo haud pervenit.

Tertium: Provinciali ut supra electo, omnimoda obedientia est exhibenda, non obstante quacumque protestatione, aut appellatione, etiam post confirmationem Præsidentis facta, vel interposita de Iure, ut expresè in prima citata Bulla dicitur. Igitur potiori Iure obedientia eidem erit præstanda, non obstante quacumque protestatione, aut appellatione, ante confirmationem, imo & electionem facta, vel interposita, etiam de Iure, quia dictio *Etiam* ibi apposita est implicativa, & ampliativa, seu explicativa *L. Etiam ff. de Minor. Clement. Procuratorem* 4. *de Procurat.* Rimin. *Cons.* 246. *num.*83. *Vol.*3. Paris. *Cons.* 46. *à num.*30. Menochius, *Consil.* 331. *num.*7., & alii plures, quos

citat & sequitur Lezana *in Summa tom.2. V. Dictio. num.20.* Exprimitque casum magis dubitabilem, & implicat, seu includit minus dubitabilem. *L. etiam ff. de Verb. signif. l. Conventicula. C. de Episc. & Cleric.* & plurimi *AA.*, quos cum Rotae Decisionibus refert Barbosa *in tract. de Dictionib. dict. 112. numer. 1.* Et sic dictio *Etiam* in citata Bulla apposita exprimit, seu explicat casum magis dubitabilem, nempe *post confirmationem*, & implicat, seu includit minus dubitabilem, scilicet *ante confirmationem*. Quod clare, & expresse ponitur in secunda Bulla, ibi = *Non obstante quocumque defectu, etiam substantiali, vel quacumque protestatione, vel appellatione, sive ante, sive post huiusmodi electionem facta, vel interposita, etiam de Iure.* Unde tam protestatio, quàm appellatio, sive ante, sive post factae, adhuc in casu, quo essent de iure interpositae (*quales certò non fuere, ex dictis supra numer. 61. per totum*), illis tantum quoad effectum devolutivum servire potuissent, id est, ut ad legitimum Superiorem possent recurrere ad petendum declaratoriam nullitatis electionis, si fortè esset, minimè verò quoad effectum suspensivum, nempe, ut Provinciali taliter electo obedientiam negarent.

II. Nec vim dictorum enervat, quod adversarii dicunt, nempe dispositionem primae citatae Bullae tantum esse intelligendam de Electionibus ritè, canonicè, ac uniformiter factis per scrutinium secretum, à maiori parte Electorum, & successive per Praesidem Capituli confirmatis; sed post multos dies, vel menses, aut annum pacificae possessionis, Electores ob vitiatos fines, contra sic Electum insurgunt, eique obedientiam negare contendunt, imo ad novam electionem procedere volunt. Ita expresse dixit Pater Magister Leyba in suo secundo libello die 22. Februarii Regio Senatui exhibito (In Processu Regii Tribunal. à pag. 123. à tergo), ad obtinendum auxilium Regium, ut omnes Religiosi tanquam Provinciali ritè ac Canonicè electo obedirent. Quam intelligentiam dictus Pater Magister eruere conatur ex proaemio, seu repraesentatione dictae Bullae, ubi de Electionibus dicto modo circumstantiatis dumtaxat loquitur, & cujusvis Constitutionis Apostolicae dispositio est intelligenda iuxta casum in Exordio expressum = Et cum relatae conditiones electioni Patris Magistri Fuentes minimè congruant, ei haud est adaptabilis citatae Bullae dispositio = Hac ratiocinatione d. Magister Leyba, eiusque Gregales se tueri, ac d. Bullae providentiam frustrare moliuntur, sed perperam, ut ex dictis seriò inspectis constat, & ex immediate adducendis liquidius patebit.

III. Relatam dictae Bullae intelligentiam esse parum eius dispositioni consonam, nec electioni à contrariis figuratae fore restringendam, apertissime constat. Primò ex eius Summario, ubi sic legitur = *Habentur rata, & firmae electiones omnes etiam dubiae, quae à Fratribus Eremitis S. Augustini in Capitulis Provincialibus Indiarum fiunt, donec illuc pervenerit Prioris, vel Vica-*

rii

rii Generalis de iis contraria definitio. Vbi ly' *electiones omnes* nullam electionem excludit. Nam dictio *omnis* est uniuersalis, ac per consequens nil respuens, quia qui *Omne dicit, nihil excludit* Barbosa *de Clausul. claus. 53. num. 3. & de Offic. & potest. Ep. Allegat. 102. num. 39.* Marta de *Clausul. part. 1. Clausf. 62.* Lezana *in Summ. t. 2. V. Dictio. num. 29., & t. 3. in Marimag. Minor. §. 51. num. 153. & DD. Comm.* Et propter eius uniuersalitatem facit, ut comprehendantur ea, quæ alias non comprehenderentur *L. Balista. ff. ad Trebell. l. cum scimus. C. de Agricol. & censitis lib. 11.* Et ly *etiam dubiæ* idem indicat: nam electionibus per contrarios figuratis, nequit congruere, cum hæ non sint dubiæ; sed certæ, ac indubitatæ. Igitur huiusmodi Summarium ad omnes, & quascumque electiones extenditur. Vnde casus ille in exordio d. Bullæ repræsentatus, seu expressus, non ponitur *taxativè*, tanquam ad electiones taliter circunstantiatas tantùm restrictus, sed ponitur *demonstrativè*, & loquendo de casu magis arduo, & insolito, ad hoc ut inferretur, quod si adhuc in illo habet locum dictæ Bullæ dispositio; potiori jure in aliis frequentioribus, & minoris arduitatis tenere debet, cùm utrobique eadem ratio, & finis providentiæ militet, ac insuper sint eiusdem ordinis *arg. C. Plus semper 35. C. Cui licet 53. de Regul. Iur. in VI. & leg. Non debet. 21. & l. In eo quod plus. 110. ff. de Regul. Iur.* Necnon argumento *à maiori ad minus*, quod est validum in Iure.

IV. Secundo quia d. Bullæ dispositio est absoluta, absque ulla limitatione, aut restrictione, ut ex eius contextu liquet: quapropter non debet tantum intelligi de electionibus taliter circumstantiatis, ut adversarii contendunt, sed de omni electione facta per Scrutinium secretum, à maiori parte Electorum, & à Capituli Præside confirmata, uti fuit d. Magistri Fuentes electio. Quia cum d. Constitutio ob varia motiva cunctis obvia, sit maximè favorabilis statui religioso, & Comitiorum paci, haud debet limitari, & restringi, sed potius ampliari, ex vulgaris Iuribus: necnon ex communi Iuris consultorum axiomate *ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus.* Et N. Reverendissimus Valvassorius (ad cuius instantiam dicta Constitutio emanavit) in tota sua amplitudine, & absque ulla restrictione eam intellexit, ut videre licet §. 1. secundæ Bullæ die 8. Augusti 1630. expeditæ, ubi dispositionem anterioris Bullæ summatim refert, quin circunstantiam aliquam, seu limitationem à contrariis molitam afferat. Et esset ingens temeritas præsumere, tantum Oratorem nescisse quid peteret, aut non intelligere, quod fuit ei concessum. Insuper si tantùm teneret d. Bullæ dispositio in electionibus per Patrem Magistrum Leyba, eiusque sequaces figuratis, esset quasi trunca & inutilis, cum provideret pro casu insolito, ac rara vice experto, & sine providentia remanerent casus soliti, & frequentiores in electionibus evenientes, ut sunt protestationes, vel ap-

pellationes tam ante, quam post confirmationem electionis ob ipsius prætensam nullitatem; imo & denegationis obedientiæ Provinciali recenter electo, sub prætextu alicuius nullitatis, vel protestationis, ante, vel postea factæ, quod nequit dici, cum leges, seu Constitutiones non ordinentur ad ea, quæ rarò, sed ad ea, quæ frequenter contingunt. Ita *Comm. DD.*

V. Tertio denique ex clausula illa in d. Bulla apposita, nempe = *Non obstante quacumque protestatione, aut appellatione, etiam post confirmationem huiusmodi facta, vel interposita de Iure.* Vbi dictio *Etiam*, utpotè implicatiua, includit casum minus dubitabilem, ut dictum est supra: ac per consequens etiam disponit in casu protestationis, seu appellationis ante confirmationem interpositæ. Quod clare exprimitur in secunda Bulla confirmatoria Decreti Reverendissimi Valvassorii = ibi = *Non obstante quocumque defectu, etiam substantiali, vel quacumque protestatione, vel appellatione, sive ante, sive post huiusmodi electionem facta, vel interposita, etiam de Jure.* Imo vi istius Bullæ Præsidentes Capituli tenentur confirmare electum per scrutinium secretum à maiori parte Electorum, non obstante quocumque defectu etiam substantiali &c. (ut est immediate dictum). Et cum hæc omnia (nempe protestatio, vel appellatio ante, vel post confirmationem; vel ante, aut post electionem; ac denique renitentia Præsidentis ad confirmandam electionem) nequeant aptari Electionibus per contrarios figuratis, cum hæ supponantur ritè, Canonicè, & uniformiter factæ, & à Præside Capituli illicò confirmatæ, imo & Electi per aliquod notabile tempus in pacifica possessione Prælaturæ: Igitur non ad huiusmodi electiones dispositio Bullæ dumtaxat terminatur, ut prætendit contrarium effugium.

§. XII.

66. Hucusque de Electione Prioris Provincialis, ejusque validitate, & Canonicitate est locupletissimè actum, necnon difficultatibus in contrarium objectis sufficienter responsum. Nunc operæ pretium erit, principaliora Contrariorum facta refferre; & *ne aliquid prætermissum fortè remaneat, quod adnecti conveniat*, ut dicitur in *C. Judicantem*. 11. 30. *q*. 5.; & ut ex eorum factis, velut ex fructibus, illorum intentio, & Zelus apertius agnoscatur. Inter dicta facta primò recensenda se offerunt tres Libelli diebus 22. 24. & 28, Ianuarii Patri Provinciali exhibiti. In primo quatuor Patres Magistri (nimirum Augustinus Leyba, Iosephus Soto, Antonius Bergara, & Iosephus Araya) exclusionem Patrum Priorum à Comitiis acritèr petunt, excepto solùm Priore Conventus Sancti Ioannis, modo indicato in *Relatione Facti n.* 1. = In secundo eandem instantiam instaurant nominatim erga Priores Conventuum de *Coquimbo*, *Conceptionis*, *Portus de Valparayso*, *Stellæ*, *Sancti Joannis*, *&* *Mendozæ*. Insuper præten-

tendunt, ut eis pateſiat providentia ſuo primo Libello præſtita; nec non, ut ipſis edantur Inſtrumenta, quæ Patres Priores aſſerunt ad probandum habuiſſe familiam Religioſorum per Brevia Apoſtolica Clementis VIII. Pauli V. & Regias Schedas præſcriptas = In tertio denuò inſtant pro Priorum excluſione indefinitè, necnon pro editione dictorum Inſtrumentorum, & quod ipſis manifeſtentur: ac tandem de Patre Provinciali ægrè conqueruntur, eò quod duobus ſuis antecedentibus Libellis non providerit, & illorum vi Patres Priores è Comitiis excludendos haud declaraverit = Pater Magiſter Araya, unà cum aliis tribus Magiſtris proximè citatis, primo Libello ſubſcripſit, minimè verò ſecundo, & tertio (queis alii tres Magiſtri tantum ſubſcripſere) etſi eſſet præſens, & nullo viſibili impedimento ad ſubſcribendum detentus. (*Totum conſtat ex Inſtrumento authentico ſign. lit. A. & Proceſſu originali intra Clauſtra formato*) cum manu propria ſecundus, & tertius Libellus exaraverit.

67 Priuſquam de his Libellis ſingillatim agamus aliqua erunt annotanda. Præmittendum primò, in generali ejectione Priorum à Comitiis per dictos Magiſtros expoſcita, minimè comprehendi Priorem Conventus S. Iacobi, tametſi in dd. Libellis non excipiatur, eo quod dictus Conventus, utpote principalior, & Caput totius Provinciæ, ac domus Studii Philoſophiæ, & Theologiæ, numeroſam alit familiam, & idcircò intelligitur à tali generalitate exceptus, quamvis id Patres Magiſtri non expreſſerint, vel præocupatione, vel nimia anxietate excludendi vota arrepti.

68 I. Præmittendum ſecundo, In dictis Libellis Patres Magiſtros in varias inconſequentias, ſeu contrarietates incidiſſe, quarum tantum aliquas reflexione dignas referemus, & prima ſit. In primo Libello ſupponunt, Priores Provinciæ non habuiſſe in ſuis reſpectivè Conventibus octo Religioſos continuæ aſſiſtentiæ, modo ab ipſis concepto, & ab hac generalitate dumtaxat excipiunt Priorem Conventus S. Ioannis, expreſsè profitentes, requiſitam familiam aluiſſe, & per conſequens aſſerunt, dictum *Priorem* in generalitate excludendorum à Comitiis haud debere comprehendi. Idipſum terminanter exprimunt in quarto Libello; Sed in Secundo Libello ſuperiùs relato, in ſubjecta materia agentes, dictum Priorem Conventus S. Ioannis expreſsè à ſuffragio excludunt unà cum aliis quinque Prioribus ibidem nominatis, quos ſupponunt, requiſita familia ad ſuffragandum caruiſſe. Et in hoc ſecundo Libello inter Priores nominatim excludendos, minime referunt Priorem Conventus S. Bartholomæi in Talca, quem in primo Libello inter generaliter ejiciendos comprehenderant, ſicut & in Tertio, Quarto, & Quinto Libellis.

II Secunda inconſequentia, ſeu contrarietas, ſit. Primo Libello ſubſcripſit Magiſter Araya, unà cum aliis tribus Magiſtris ſupra relatis, non verò aliis quatuor ſubſequentibus in ſubjecta materia exhibitis, etſi tunc eſſet præſens, & nullo viſibili

 im-

impedimento detentus; Sed licet Libellis non subscripserit; tamen secundum, & tertium Libellum propria manu, & caractere scripsit, ut ex Processu Originali intra Claustra efformato ad oculum patet; Et sic manum cooperatoriam, & coadjutricem, quam abstinendo à subscriptione voluit celare, Libellos scribendo ostendit. Econtra Magister Solis, qui quatuor primis Libellis non subscripserat, etsi esset præsens (quin potius in contrario Voto tunc temporis fuerat) quinto subscripsit, tantisper ad electionem Provincialis. Et zelus, aut scrupulus, quem retroacto tempore nuper umbram habuerat, momento acquisivit; & se illis adjunxit. En inconsequentiæ, & contrarietates visibiliores (aliis levioris momenti prętermissis) in dd. quinque Libellis repertæ. Eas nunc exenteremus; si forsàn quidquam mysterii in illis reperiamus;

69 I. Certum motivum, seu mysterium primæ contrarietatis quoad exceptionem, & comprehensionem Prioris Conventus S. Ioannis [& idem de Priore Conventus S. Bartholomæi dicitur], nescimus: verùm ex antecedentibus, & consequentibus Magistrorum factis conjectari faciliter possumus. Nam animus plus declaratur facto, quàm verbis, *C. Dilecti Filii* 52. *de Appellat*: & ibi Glossa *L. fin* ff. de *Divort. & DD. Comm.* Et huc consonat illud Ovidii - 13. Metamorph. ibi = *Denique quid verbis opus est? spectemur agendo*. Vnum dictæ contrarietatis motivum [ni fallimur] fuit. Patres Magistri die 22. Ianuarii hujusmodi prætensionem exclusionis Priorum inchoarunt, saltem quoad publicam Libellorum exhibitionem; Et cum pro tunc nulla Instrumenta haberent, ut suam intentionem probarent, ut constat ex dicendis infra. §. *XXI. à num.* 108; idcirco erga omnium Priorum exclusionem, vel unius, aut alterius exceptionem à tam generali strage, frequenter vacillabant; & ob id, quæ in uno Libello approbabant, reprobabant in alio, & ècontra.

II. Secundum motivum obvium, ac verisimilius est. Patres Magistri procurabant Prioribus timorem incutere, ut à Patre Provinciali recedentes, ad suas partes transirent; Idcirco, dum aliquem Priorem in suum dictamen sperabant allicere, illicò eum tanquam Vocalem legitimum computabant, & ab aliis excludendis excipiebant. Sed ea spe denuò amissa, iterum eum exclusioni obnoxium in sequenti Libello contendebant; taliter ut ex variatione, seu vicissitudine ventus, conceptæ, vel amissæ spei, illum habendi, vel non habendi, bracteola eorumdem instantiæ esset versatilis. Et ob hanc Causam, quem in uno Libello idoneum ad suffragandum constituebant, in alio rejiciebant; & è converso. Vnde dd. Patres Magistri quoad Comitiorum negotia teneri volebant, tanquam Principes absoluti & supremi *Ius gladii* habentes, idest vitæ, & mortis civilis Vocalium: [nam privatio officii sive vocis activæ, vel passivæ in electionibus est mors civilis, capita minuit, statum mutat *L. capitis* 1. & ibi Glossa ff. *de Capit. diminut.* Redn. *de Elect. tom.* 3. *tit. unic. sect.* 5. *n.* 197. & alii) &

quod

quod habilitas suffragandi ab ipsorum arbitratu, nutuque pende-
ret: & adeò contentiosè in Provincialem, Capituli Præsidem, & Causarum Iudices Ius dicere procurarent, ut eorum nemini submitti vellent, ut ex dicendis infra §.XVII. *à num.*91. liquidò constabit.

70 I. Alia contrarietas, seu inconsequentia erat, quod Magister Araya primo Libello subscripsit, minimè vero quatuor sequentibus; & quod ob moderationem, aut resipiscentiam ab istorum subscriptione abstinuerit, non fit credibile, ob ejus genium fervens, & inflexibile; & quia interim plus suis Commilitonibus in Priorum exclusione sæviebat, ac tenacius excitabat. Et sic, licet secundo & tertio Libellis non subscripserit, eos tamen manu propria, & caractere scripsit, ut dictum est *supra n.* 68. II. Qua de Causa semper fuit præsumptum, ex particulari, & doloso studio à dictorum Libellorum subscriptione abstinere, & idcircò, quævis provisio dictis Libellis præstita, ipsi intimabatur (*Constat ex Instrumento Sign. lit. A. & de Proces. Originali*) ac si reapse illis subscripsisset. Et licet primò intuitu, motivus dictæ inconsequentiæ intra limites esset puræ suspicionis, citò tamen conjectura in evidentiam transiit, & est.

II. Dictus Pater Magister asserebat, & asserit, se esse Notarium Apostolicum, & tali titulo prætendit Instrumenta authentica facere; Et licet Pater Præses Capituli seriò ei præcepisset, ut Titulum Notarii, & Instrumentum suæ receptionis ostenderet (cum utrumque usque modo in Provincia ignoretur), ut pro tali Notario agnosceretur, & haberetur, renuit tamen parere, & nugatoriè respondit; se habere utrumque Instrumentum carta involutum, & custoditum, & idcirco non posse illud ostendere. *Constat ex Instrumento Authentico Sig. littera E.* Quo non obstante scitur, eum Notarii Officium exercere, & Instrumenta conficere. Imo in ipsa Aula Capitulari Comitiorum tempore, Patres Magistri ejus Compartiales ab eo frequenter petebant, ut de omnibus factis occurrentibus, eorundem intensioni adversis, tanquam Notarius Apostolicus testimonium præberet. Et sic de facto, in Processu Authentico Regii Tribunalis, adest quoddam Instrumentum ab ipso, tanquam Notario Apostolico, præstitum, quod potius est Allegatio in suæ partis favorem, quam Testimonium nudum Notarii Apostolici. Et sic non dubitamus, quod Romæ, & Matriti, quam plura testimonia ab eo facta comparebunt. Velit Deus, ut ea legalitate & veritate sint, qua Notarium Apostolicum, ac Virum Religiosum decet. His præmissis, ad aperiendum præinsinuatum mysterium, seu motivum transeamus.

71 Dictus Magister Araya, æstuante genio arreptus, tumultuariè cum aliis tribus Magistris (queis nunquam licuit quieta mente consistere) primo libello subscripsit, quin ei pro tunc quidquam aliud occurreret, nisi imminentia turbare Comitia, Vocales partis aduersæ imminuere, Prioribus timorem exclusionis incutere, vt eos in suam partem traheret, ac tali arbitrio, & personale,

& suæ

& suæ partialitatis promouere interesse. Sed post aduertens, quod per dictam libellorum subscriptionem impediebatur ad Notarii Officium in causa exercendum, & conficiendum Instrumenta in suæ partis fauorem, à quatuor sequentium libellorum subscriptione abstinuit, si forte, hac palliata abstinentia, illius primæ subscriptionis memoriam aboleret, & ab eius ligamine redderetur immunis. Et hoc indubiè fuit motiuum, cur cęteris libellis non subscripsit. Sed à vero longè aberrauit, quia impedimentum vi primæ subscriptionis conaractum est facti permanentis, & consequenter durat, quamdiù dicta causa, & ex ea resultantes durabunt, cum subscriptio sit vox, seu testimonium ipsius scribentis *l. si Procuratorem ff. de Procurat.* §.1. *Instit. de empt.*, & *vendit.* Gonzalez super *regul.* 8. *Cancel. glossa* 60. *num.* 1., & Mascard. *de probat. concl.* 183 *num.* 26.

72. I. Quod autem dictus Pater per primi libelli subscriptionem implicitus manserit, vt tam in vertente causa exclusionis Priorum, quàm in aliis ex ea exortis, Notarium ageret, patet. Primò quia Notarius est verè, ac propriè Testis, vt tenet Glossa fin. *in l. Domitius labeo ff. de Testam.* vbi Tabellionem computat in numero Testium, & Tabellio vni Testi comparatur *l. hæc consultissima c. de his, qui test. fac. pos*, idemque propugnant Portel, *V. Notarius in addit. num.* 5. Lezana *in Sum. tom.* 2. *V. Notarius n.* 9. Reinff. *l.* 2. *Decret. tit.* 22. §. 9. *n.* 266. & 278. Passerin. *de elect. c.* 16. *q.* 11. *n.* 42., & 44., & alii. Et sic à Teste ad Notarium, & contra valet argumentum, vt ex communi tenet Reinff. *l. c. n.* 262. 266. 273.; & 278. Et non solum est verè, & propriè Testis, sed etiam est Testis qualificatus, & in actibus extraiudicialibus, & extra Iudicii processum valet prò duobus Testibus *c. Quoniam contra de probat. l. in exercendis* 15. *c. de fide Instr.* Glossa *in c. vt officium* 11. *ad §. Verum quia de Hæretic. in VI.* ac etiam *in c. Quoniam contra vers. Duos Viros de Probat.*, & *argum. cit. l. Domitius labeo*, Lezan. *l. c.* Reinfenst. *l. c.* §. 10. *n.* 312., & 315. Schmalz ibid. §. 1. *q.* 3. *n.* 22., & alii. Et cum sit certi, & explorati iuris, quod Testis in causa propria sit inutilis, ac inhabilis, & quod audiri non debeat *C. insuper statuimus* 6. *de Testib. C. si Testes §. Nullus* 4. *q.* 3., & concordat Textus *in l. Nullus* 10. *ff. de Testib.*, & *leg. Omnibus* 11. *C. eod.*, estque adeò recepta Doctorum sententia, vt contradictorem non habeat, inquiunt Farinac. *quæst.* 60. *de Testib. n.* 2., & Reinff. *l. c. tit.* 20. §. 7. *n.* 186. Euidenter sequitur, quod quis in causa propria etiam ad Notarii Officium sit inutilis, ac inhabilis, eiusque Testimoniis credi non debeat, & quidem meritò, ob rationabilem suspectum ne faciat = *candida de nigris, & de candentibus atra*, vt canit Ouidius 11. *Metamorph.*, & cum Magister Araya, subscribendo primo libello, causam effecerit propriam, vt de se patet, & immediatè probabitur; fit inde, vt nec in ea, nec in cæteris ex ea resultantibus, valet Notarium agere.

II. Secundò, quia nemo potest simul esse Actor, & Testis, & po-

& potiori iure Notarios, in eadem causa *C. Nullus 1.*, *& seqq. caus. 4. q. 4. C. Forus 10. de verb. sign.*, *& C. Insuper 6. de Testib.* vbi Glossa *in casu* Panormit; Ioan. Andreas, & Felin. *in Summario*, Farinac. *d. c. n.* 526. alios congerens. Nemo enim plurium personarum voces simul, & semel potest obire *C. Præsbiteros 38. 16. q. 1. l. fin. C. de Assessor.* Et cum dictus Pater, eò quod primo libello subscripserit, fuerit constitutus Actor, & pars, vt dicetur infra §. *XV. à num.* 79.: sequitur, vt etiam ex isto capite, partes Notarii nequeat agere. Et ratio huius est, quia Testis, & etiam Notarius debent carere omni falsitatis suspicione, seu propensionis in vnam partem, magis quàm in aliam, *C. Placuit sancto, & C. si Testes §. 1. caus. 4. q. 2., & 3.* Quod est difficillimum reperiatur in Teste, & Notario, respectu causę, in qua est pars, & Actor, eò quod sit causa propria, erga quam, ob naturalem inclinationem, quilibet præsumitur magis affectus, quàm ad alienam. Et sic veluti suspectus meritò reiicitur à ferendo Testimonio in tali causa. Quod est adeo verum, vt etiam intelligatur, etsi *Actor, Notarius, & Testis* in mortis articulo fuerunt constituti ex *l. Dationes C. de Probat.* Natta *cons.* 74. *num.* 4. Farinac. *l. c.* Reinffens. *l. c. n.* 187., & alii.

73. Quod autem causa exclusionis Prioris à Comitiis (& idem de aliis ex ea resultantibus) fuerit propria Magistri Araya, & aliorum Compartialium, patet, quia *Causa propria* dicitur, *cuius emolumentum, vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet*, vt loquitur Textus *in l. 1. §. In propria ff. quando appellandum sit, & C. Biduum §. Et palam 2. q. 6.*; seu *Causa propria* etiam dicitur *illa, in qua quis habet interesse*, puta quia ex suo Testimonio commodum, aut si non iustificetur incommodum sit reportaturus. Ita Glossa *in d. c. Si Testes X. ver. Sua.* Baldus *in l. Distantibus n. 4. C. de Testam.* Mascard. *de Probat. l. 3. concl.* 1357. Lezan. *tom. 2. V. Notarius n.* 9. Ameno. *in Practica crim. tit.* 15. § 1. *n.* 4., *&* 15. Schmalzg. *lib.* 5. *Decret. tit.* 20. § 2. *n.* 62., & ibid. Pich. *n.* 79. Engel. *n.* 39., & Vviest. *n.* 30. cum *communi*.

§. XIII.

74. Patres Magistri fortasse dicent, se minime agere de proprio interesse, & commodo, sed totius Prouincię, quia tantùm promouent Breuium Apostolicorum obseruantiam, ac obedientiam illis debitam, necnon electionum validitati consulunt &c. totum quod in bonum commune Prouinciæ, eiusque regularis obseruantiæ profectus redundat. Et hoc casu haud est inconueniens, quod membra alicuius Ecclesiæ, Capituli, Prouinciæ, Monasterii &c. ferant Testimonium in eorum Causis, etsi ex istis interesse, aut commodum Ecclesiæ, Capitulo, Prouinciæ, & Monasterio resultet. Quæ doctrina claré desumitur ex *C. Cum dilectus 32. de elect. C. Vincens. 38. de Testam., & C. Insuper 6. de Testib.* Eamque tenent Glossa *in C. Tertio loco §. Iurati de Probat., & DD.*

commu-

communiter in cit. titulo de Testibus, & attestat. Igitur bene poterit Magister Araya in Causa propriæ Prouinciæ ferre Testimonium, quod pariter in aliis Magistris militat.

75. I. Non dubitamus, Patres Magistros doctrinę datę sponte adherere, eò quod ipsi dictis prætextibus semper laruati Comitiis intur adandis inhient, vt affluentem suorum commodorum piscatum lucrentur. Verùm relata doctrina, nec Magistro Araya, nec suis Compartialibus valet suffragari, ex triplici capite. Primum, quia d. Pater à testificando non excluditur in causa propriæ Prouinciæ, sed tantum in causa propria ipsius. Primum tantum ex data doctrina eruitur, quod nos etiam libenter concedimus: minimè verò secundum; & hoc est, quod negamus. Et cum d. Pater per primi libelli subscriptionem causam effecerit propriam, ac in ea fuerit constitutus Actor, & pars, ex dicendis *loc. cit.*, ob istos titulos consultò à testificando reiicitur.

II. Secundum, & est uberior præcedentis explanatio. Quia omnia membra, seu Gremiales in dicta sua responsione relati possunt in Causis propriæ Ecclesiæ, Capituli, Prouinciæ &c. Testimonium ferre, dummodo non subsit aliqua rationabilis Causa, eos à testificando impediens, ut expresè habetur in *C. cum Nuncius* 12. *de Testib.* ibi = *Clerici non sunt à ferendo testimonio super negotio Ecclesiæ suæ (nisi alia rationabilis causa impediat) repellendi.* idem tenet Glossa *in cit. C. Insuper ver. Ecclesiæ, de Testib.*, & *Comm. DD.* apud Socinum *in Fallent. reg.* 408. Et cum ex Iure, Glossa, & Doctoribus citatis *sup. num.* 72. inter causas rationales à ferendo testimonio impedientes annumeretur, quod quis sit constitutus Actor, vel Responsalis, seu Procurator, qui nomine suæ Ecclesiæ, Capituli, Provinciæ &c. causam pertractet: fit inde, ut si dictus Pater Magister per relatam libelli subscriptionem fuit factus Actor, pars, & Procurator nomine proprio, ad testificandum remansit impeditus. Quia si ex ista doctrina impedit id facere nomine alieno, videlicet Ecclesiæ &c. multo fortius impediet, id ipsum nomine proprio facere valido argumento *a minori ad maius C. Cui licet* 53. *reg. Iur. in VI. Nam ex Communi DD.* hæc Regula non solùm tenet in sensu affirmativo, sed etiam in sensu negativo, nimirum sic = *Cui non licet, quod est minus, utique non licet, quod est maius. Concordat C. Cum illorum* 32. *de Senten. Excomm.*, *L. si Adulterium* 38. §. 9. *ff. ad Legem Scil. de Adult.* cum aliis.

III. Tertium, quia relata doctrina dumtaxat procedit in illis causis, in queis agitur de rebus, quarum commodum, aut interesse resultans est Ecclesiæ, Capituli, Provincię &c. in genere, secutas verò quando est singulorum, idest quando commodum, utilitas, & interesse ad Gremiales tantùm spectant, ut sunt membra Ecclesiæ, Capituli &c., non uero quando pertinent ad ipsos, singulos quia tunc non sunt Testes idonei in negotio suæ Ecclesię Capituli &c. testificarentur enim in re propria, seu cuius commodum singulis eorum immediatè obveniret. Ita docent Panormit. *in d.*

C. In-

C. Insuper n. 2., & Felin. n. 6. Ioann. Andr. *in d. C. Cum Nungius n. 4.*, & alii plures, quos allegant, & sequuntur Farinac. *de Testib. q. 60. a num. 495. Reinff. L. 2. Decret. tit. 20. §. 7. à num. 206.*, & ibi I. Schmalzg. *n. 59.*, *& 60.* Pirh. *n. 102.* Ameno. *in Pract. Crimin. tit. 15. §. 4. num. 15.*, *& Couarrun. Pract. quest. 18. n. 4.*, ubi hanc Sententiam appellat communem. Et ob hanc rationem Canonicus non est idoneus Testis in Causa suæ Prębendæ, quia etsi in genere omnes Prębendæ ad Capitulum spectent, tamen earum prouentus immediatè obveniunt singulis Canonicis specialiter deputatis. Panormit. *l. c. n. 7.*, & Felin. *n. 6. Reinff. l. c. nu. 207.*, & Mascard. *de Probat. Concl. 3. num. 19.*, *& Concl. 1364. n. 29.* istud amplians ad Episcopum, vel Abbatem, quos pariter negat posse testimonium ferre in rebus ad suam mensam pertinentibus. Idem sentit Farinac. *l. c. n. 462.* alios citans. Et cum, si quidquam commodi, aut utilitatis ex Priorum exclusione resultet, non erit Prouinciæ in genere (cum ei potiùs maximum obveniat prejudicium), sed dictis Patribus Magistris, ut singulis, suum personale interesse per similia machinamenta inhiantibus, ut ex hucusque dictis constat, ac ex dicendis latius patebit: sequitur, ut etiam ex hoc capite à testificando reiiciantur.

15. Et quod præsens Magistrorum factum (& idem de aliis subsequentibus), non in scopum, quem ipsi præseferunt, & buccis crepantibus persuadere conantur, sed dumtaxat in eorum personale interesse, & commodum collimet, ex dictis, & dicendis liquidò evincitur. Ipsi enim in factione uniti magnam existimationem ducunt, quod sua factio in Provincia prævaleat, & Clavum Gubernii teneat, ut ita apud ipsam sit officiorum distributio, & administratio, ex queis honorem, & commodum reportaturos præsumant. Pariter hęc somniata utilitas tangit commodum, & interesse singulorum, cum inter ipsos, ut singulos, officia essent distribuenda. Vnde totum id, quod suæ partialitatis utilitatem tangit, etiam se ipsos tangit, ut singulos, in quos dicta utilitas ex consequenti deriuatur. Ita expresse Ameno *l. c.* Et licet officia, & Prælaturæ directè ad Provinciam spectent, tamen quidquid honoris, & commodi habent, aut habere præsumunt, non in Provinciam, sed in ipsis, ut singulis, refunderetur. Quapropter non agunt pro bono totius Provinciæ, sed tantùm pro eorum personali interesse, & commodo. Vnde si Magister Araya, sive in Causa exclusionis Priorum à Comitiis, sive in alia conducente, ut sua factio Provinciæ gubernio potiretur Notarium ageret, in Causa propria ferret Testimonium, quod est omni Iuri, & rationi dissonum. Quod clarius ex Libellorum tractatione patebit.

§. XIV.

16. In primo ex tribus libellis, supra *§. XII. n. 66.* recensitis, die 22. Januarii Patri Provinciali exhibito, Patres Magistri Leyba, Soto, Bergana, & Araya ea omnia exposuere, quæ in *Delatione*

facti

facti num. I. sunt narrata, ubi videnda remittimus, ne à ctum inutiliter agamus. Huic libello nil particulare respondendum superest, cum de omnibus in illo contentis, in antecedentibus sparsim sit abundanter dictum: quapropter de illis tantùm remissivè agimus, ne Iudices, & Lectores supervacuè molestia afficiamus = De Brevibus Apostolicis Clementis VIII., & Pauli V. in d. Libello citatis, locupletissimè egimus §. *VI. à num. 35.* De Schedis Regiis in eorum auxilium emanatis, *loc. cit. n. 36. per totum*. Quaenam familia in vim dictorum Brevium, & Schedarum sit in quovis Conventu collocanda, ut eius Prior fruatur Voto in Comitiis, §. *VII. num.* 37. Quomodo debeat esse familia 8. Religiosorum continuę assistentiæ *loc. cit. à num. 38. ad* 42. Denique, quæ Familia sufficiat in vim Brevium posteriorum Clementis IX. XI., & XII., ut Priores potiantur voce activa in Comitiis, dictum est §. VIII. à n. 42. ad 55. Quæ omnia citatis locis valent videri, ne frustrà discussa repetamus.

77. Et quod motivum, quo ipsi effrontes blaterant ad dicti Libelli exhibitionem moveri, nempe ex Zelo obedientiæ, & observantiæ Sanctionibus Apostolicis debitæ, & ut Comitiorum paci, & electionum validitati consulant, est ventosa verborum simulatio, & ovinam pellem induunt, ut lupum suæ intentionis contegant. *Fallit enim vitium speciei virtutis, & umbra* canit Iuvenal. *Satyr.* 13. Idcircò hujusmodi verba in cortice haud sunt inspicienda, sed seriò introspicienda, & exenteranda. Non se quales verbis referant, sed quales se rebus efficiant spectare debemus, ut plenum, & veridicum eorum Zeli dictamen efformare possimus. Blandimenta verborum, & mansuetudinis simulationem admonet fructu operationis expendi oportere, ut non qualem quis verbis referat, sed qualem *se rebus efficiat, spectemus: quia in multis vestitu ovium rabies lupina contegitur* ait Dominus Hilarius *Comment. in Math. c.* 7., & quantum dicta Patruum Magistrorum verba ab eorum distent operibus, ex supra dictis, præcipuè §. *VI. n.* 32., & 36., & §. *VII. n.* 49. 51., & 53., certò certius liquet. Et quod in procuranda Priorum ejectione è Comitiis, non electionum validitati, & Comitiorum paci prospiciant, sed potius contrarium intendant, ex dictis §. *I. num.* 2., & 3, & pluries alibi, satis clarè evincitur.

78. I. Sed non est sine aliqua reflexione finendum, quod isthæc scena exclusionis Priorum à Comitiis, dumtaxàt bis est repræsentata in Provincia, nempè prima vice anno 1728., & secundà vice isto anno 1755., ut manet ponderatum supra §. *VI. n.* 32. In prima illius vice, ejus Auctores, & Promotores fuere sex Patres Magistri, & unus Præsentatus ex x Provincialis, qui velut septem Machabæi Zelum legis præseferentes (seù proprius simulantes) ipsamet die celebrationis Capituli quæmdam libellum Senatui Regio, & Gubernatori totius Regni exhibuerunt, sequentia petentes = Quod Scheda Regia (de qua supra *num.* 36. *II.*) confestim Provinciæ intimaretur, & vi illius Priores familiam

miliam octo Religiosorum continuæ assistentiæ non habentes à Comitiis ejicerentur = Quod Regium Tribunal intra Claustra Comitiis interesset = Quæ omnia apparatu bellico, & lacrymabilibus circumstantiis juxtà dictorum Magistrorum placitum fuere executa, & quam maximo Reipublicæ scandalo, & totius Provinciæ nocumento, haut decet referre, ne infandum renovemus dolorem. Possunt tamen videri (si libet) in Actis Originalibus dicti Capituli in Archivio Ordinis stantibus. A dicto anno 1728. usque nunc, nec minimum verbum hac super re est auditum, aut obiter locutum, cum interim octo Capitula fuerint celebrata, maxima cum pace, & iàm dictorum Magistrorum, quàm Priorum interventu (ut manet dictum supra §. *VI. n.* 32.) & tunc major familia haud erat in Conventibus Provinciæ, quam modo est, ut constat ex dictis §. *VII. num.* 37.

II. Et quando lapis offensionis, & petra scandali hujus miserrimæ Provinciæ viginti septem annorum decursu videbatur penitùs sepulta, & oblivioni tradita: ecce die 22. Januarii (nempè octiduò ante Capitulum) 1755. quatuor Patres Magistri multotiès relati denuò pro Priorum exclusione à Comitiis in Campum prosiliunt, quorum tres (videlicèt Magistri Leyba, Soto, & Bergara) sunt reliquiæ superstites illorum septem istius scenæ primò Inventorum, queis accessit Magister Araya, qui etiam prima vice, anno 1728., illis adhæsit *conatibus*, *&* *re*, etsi *non voto*, quia eo carebat, eò quod esset Juvenis, & Lector actualis Theologiæ. Sed super re tanto tunc ardore, & obstinatione processit, ut non solum ultroneus negotio ad se non pertinenti se immiscuit, sed absque licentia, & titulo Limam transierit. Sed indè ab Excellentissimo Peruvii Vice-Rege in Provinciam remissus, ab hac denuò Sæculari habitu personatus recessit, & per Brasilia Matritum usque remeavit. Undè iterùm ad Provinciam ejectus, in redditu ita morosus extitit, ut ultro, citroque, supra 20. annos extra Provinciam permansit. Et hoc est primum Capitulum Provinciale, cui tanquam Vocalis interest (nam paucis mensibus ante Magisterii lauream assumpsit) & illicò pristinum vomitum *re*, *&* *voto* repetiit. Et nè nunc talis circumstantia deficeret, etiam denuò Limam perrexit, auxilium ab Excellentissimo Pro Rege Peruntino impetraturus, ut Provincialatus Magistri Leyba subsisteret. Sed nil obtinuit, præter quoddam arbitrium, infrà referendum. Dictis quatuor Magistris (paucis horis ante electionem Provincialis) quinto loco accessit Magister Solis, qui etiàm tùnc quinto libello pro Priorum exclusione subscripsit. Et est advertendum, quod Magister Soto, multis dictorum octo Comitiorum præcedentium, non solùm una cum Prioribus interfuerat, sed etiam in Capitulo immediato fuit Rector Provincialis. Et Magister Solis præcedentibus 6. Comitiis, una cum Prioribus interfuerat, ac in uno eorum Officium Præsidis gessit. Omnia hæc ex Actis dd. Capitulorum in Archi-

vio

vio Ordinis extantibus constant. His præjactis, ad reflexionem transeamus.

III. Est ne credibile, quod 27. annorum decursu, & octo Comitiis interim celebratis, ex universa Provincia, in iisdem numerò individuis, zelus observantiæ dictorum Brevium Apostolicorum dumtaxàt exarserit? Et quando? Prima vice, ipsamet die celebrationis Capituli, & secunda, octiduò ante. Et quo fine? Utraque vice, tantùm pro Priorum exclusione à Comitiis. Et hujusmodi factum pro zelo observantiæ Brevium erit computandum, necnon admittendum? Minimè gentium, quia citata Brevia principaliter, primariò, & directè solùm collimant in familiam 8. Religiosorum in Conventibus collocandam, & minùs principaliter, & indirectè, ac veluti in omissionis pœnam, privationem voti Priorum apponunt. Et Patres Magistri utraque vice, non pro dicta familia in Conventibus constituenda instant, ac ægrè decertant (nam tunc ob brevitatem temporis, nec est assequibile, nec Pater Provincialis ad id habet facultatem, ob interdictum Constitutionis Ordinis 3. *part. cap.* 15. *num.* 7.); sed tantùm pro impositione pœnæ, nempè exclusionis Priorum, ut ex eorum libellis ad oculum patet. Igitur decantatus iste Magistrorum Zelus, non est pro obedientia, & observantia Brevium, sed pro suo personali interesse, in Priorum exclusione molito. Et licèt ipsi, omnia sua conamina, ex Regularis observantiæ Zelo oriri persuadere contendant, nullus tamen sanæ mentis assentietur, quia omnes optimè callent, quod ipsi ad instar Rachelis (sed non eo animo, quo illa) *abscondant idola subter stramenta Cameli. Genes. cap.* 31. *vers.* 34. Et quod licèt eorum vox sit quidem vox Jacob, sed manus (idest opera, ut notant Interpretes) manus sunt Esau = *Genes. cap.* 27. *vers.* 22.

§. XV.

79 Cum anteriori §. sit sufficienter actum de primo libello, in isto erit agendum de secundo supra §. XII. *num.* 66. relato. Et ut in ejus responsione perspicuè procedamus, præmittendum erit, quod in omni Judicio tres personæ indispensabiliter debent reperiri, nempè *Judex*, *Actor*, *&* *Reus C. Forus* 10. §. *In omni de V. S. leg. Inter Litigantes* 62. *de Judiciis*. *Judex* sic appellatus, quia judicat, & est persona, quæ publica auctoritate judicio præest, rem controversam secundum juris præscriptum decidens. *Actor* est, qui actionem proponit, & rem aliquam ab alio præstandam petit, eumque primò ad judicium provocat. Undè ab *agendo*, dicitur *Actor*; sicùt & à *petendo*, etiam vocatur *Petitor*; et in Causis Criminalibus propriè *Accusator* dicitur. *Reus* in genere, non pro criminoso, & delinquente sumitur, sed à *Re*, quæ ab ipso petitur, sic nominatur. Undè omnis ille dicitur *Reus*, à quo aliquid ab Actore, etiam injustè, ac iniquè petitur,

cit.

eit. Cap. Forus ver. Rest. ubi Glossa ait *à re, & non à reatu.* Sic omnes *DD.* Ex quo sequitur, quod Patres Magistri libellos contra Patres Priores porrigentes sunt propriè *Actores*, & Priores *Rei*. Quo notato, ad secundum libellum procedamus.

80. I. Huic libello in 1. est responsum, cum in utroque eadem instantia contineatur, nempè exclusio Priorum à Comitiis: idcircò pro illo iàm dicta, isti deserviunt. Tantùm restat dicendum ad id, quod Patres Magistri in isto libello adjungunt, nimirum, quod edantur, & ipsis manifestentur Instrumenta, quæ afferunt Priores ad probandum habuisse in suis Conventibus octo Religiosos continuæ assistentiæ. Verùm hujusmodi instantia est incompetens, ab omni jure, & ratione aliena, atque ideò non audienda. Quia ex immediatè dictis, in hac causa Patres Magistri sunt *Actores*, cum ipsi primò litem cierent, & ad judicium provocarent. *Leg. In tribus 13. ff. de Judiciis* juncta Glossa *ver. Videri Actorem*: & Patres Priores sunt *Rei*. Et licèt Actor debeat edere sua Instrumenta Reo, ut eis satisfaciat, Reus verò sua propria Instrumenta minimè debet edere Actori, nec iste ea petere, ut exhibeantur ad probandum suam intentionem.

II. Hoc constat ex utroque Jure *C. Ex Epistolæ 1. de Probat.*, & ibi Glossa *leg. Nimis grave 7. C. de Testam. leg. In speciali 73. de R. jur.*, & aliis. Idipsum tenent *in d. C. Ex Epistolæ* Panorm. *num.* 14., Fagnan. *num.* 1., Barbos. *num.* 1., *&* 13., & Gonzalez. *à num.* 7., Reinff. *lib.* 2. *Decret. tit.* 19. §. 5. *num.* 141., *& tit.* 22. §. 8. *num.* 242., & ibidem Schmalzg. §. 2. *n.* 42. plures citans, & hanc doctrinam veram, & communem appelans. Et cum, generatim loquendo, *ei incumbat probatio, qui dicit, non qui negat ex leg. 2. ff. de Probat.* onus probandi regulariter incumbit Actori; ipsius enim est, illud, quod proposuerit, probare: & si plenè non probaverit, etiamsi Reus nil præstiterit absolvendus est, & liber ob omni impetione Actoris declarandus. Ita *communis*. Et habetur decisum in *C. Cum Ecclesia 3. §. fin. de Caus. possess.* ibi = *Actore non probante, qui convenitur, etsi nil præstiterit, obtinebit.* Idem terminanter dicitur *in leg. Qui accusare C. de Edendo*, & concordat Textus *in Can. quod autem caus. 6. quæst. 5., & leg. Actor Cod. de Probat.*

81. I. Et certè nescimus quo jure, aut titulo dd. Patres Magistri in secundo, & tertio libellis petant, (immò, & in primo id intendebant, etsi ex transcuragine non expresserint, ut haud obscurè innuunt in secundo), ut ipsis edantur Instrumenta propria Priorum, & per illos allata? Nam, vel procurant dicta Instrumenta ipsis edi, ut eorum legitimitatem, & veritatem qualificent, & approbent, & per consequens votum Priorum in Comitiis; vel ut ea impugnent, & adversus illa excipiant? Si primum: in alienam messem mittunt falcem, & cæco impetu indebitam sibi facultatem usurpant. Primò quia hoc, non ad Patres Magistros, nec ad omnes Vocales spectat, sed tantum ad illos, queis Jura committunt *argum. C. Coram 34. de Offic. Delegat.*, *& C. Cum*

M. 9. de Constit. Et cum Constitutiones Ordinis 3. *part. cap. 9. §. 3. num. 1. & 2.* non Patribus Magistris, sed Judicibus Causarum privativè committant qualificare Vocales, & eorumdem vocis activæ, & passivæ legitimitatem approbare, una cum Patre Præsidente 3. *part. cap. 15. num. 5. in fine*, fit indè, ut istis, & non illis, dicta Instrumenta debeant exhiberi. Imo, nec ipsis est commissa hujusmodi facultas per citata Brevia, & Schedas regias, ex dictis supra *num. 35. II., & num. 36. III., & IV.* Undè non carent culpa (& quidem gravissima) dùm cum tanta Provinciæ, & Comitiorum pernicie, rei ad se non pertinenti, se immiscent ex C. *Non est 19. de Regul. jur. in VI.*, cui consonant *C. Tua 19. de Homicid., & leg. Culpa est 36. ff. de Regul. jur.* Undè illis congruit, quod dicitur *cap. Avaritiæ 5. de Elect. in VI.* ibi = *Avaritiæ cæcitas, & damnandæ ambitionis improbitas, aliquorum animos occupantes, eos in illam temeritatem impellunt, ut quæ sibi à jure interdicta noverint, exquisitis fraudibus usurpare conentur.*

II. Secundo: quia solum Judici, cujus est ferre Sententiam super articulis motis, debent Instrumenta exhiberi: cum illius sit cognoscere, an Instrumetum sit legitimum, & authenticum, & an revera articulus, ut pars allegat, in eo contineatur Schmalzg. *loc. cit. tit. 19. §. 4. num. 85.*, & Reinff. *loc. cit. tit. 19. §. 5. num. 113.* Et hoc ex citata Constitutione Ordinis, non ad Patres Magistros, sed ad Tribunal Judicum Causarum cum Præside Capituli dumtaxàt spectat. Imo si à dictis Patribus Magistris penderet talium Instrumentorum qualificatio, & approbatio, nunquam eis satisfacerent, etsi Priores, ad ostendendam veritatem, Solem ipsum in manibus gestarent, ut post Oldendorf. *in tract. Probat.* loquitur Mascard. *de Probat. num. 24.* Et quamvis in illis nec leve illegitimitatis, aut inverisimilitudinis vestigium invenirent, illicò ad dicendum, esse subreptitia, & dolo extorta recurrerent, sicut ita in primo suo libello animosè dixerunt, priusquam ea vidissent, aut Instrumenta aliqua in contrarium haberent. Frustrà igitur pro dicto fine ipsis fieret dicta Instrumentorum editio.

82. Si secundum (nimirum, ut dicta Instrumenta impugnent, & adversus ea excipiant): est jure, ac ratione dissonum, ut Instrumentis propriis Rei, velit Actor suam intentionem fundare, & contra Reum agere, quia nec juris, aut æquitatis ratio permittit, ut quis invitus arma, queis impugnetur, suo adversario tradat, eumque contra se adjuvare cogatur *C. Ex Epistola 1. de Probat.*, & ibi Glossa *ver. Contra te: & leg. Nimis grave 7. C. de Testam.* Sicque Actor non debet arma, seù documenta è domo Rei petere, ut contra eum suam intentionem fundet, ac probet; nec supra fundamenta aliena debet prætendere domum propriam construere. Insuper Actor habet in sua potestate, an, & quando velit Reum convenire, illumque ad judicium trahere, cum invitus agere, vel provocare nemo cogatur *leg. unic. C. ut nemo cogatur.*

Reus

Reus verò non habet in sua potestate, an, & quando conveniatur, & frequenter invitus ad Judicium trahitur. Ille, non ad se tuendum, sed ad lædendum provocat. Iste è contra, non offendere, sed se defendere procurat. Ille, cum voluntariè Reum conveniat,& provocet, debet instructus, & paratus ad judicium venire, atque probationes sufficientes, & Documenta afferre, ut suam intentionem fundet, ac ea in promptu habere *leg. Jure § fin. ff. de Doli mali exception.* juncto *Summario, & Doctores*. Et si sufficientia, ac idonea haud præparavit Documenta; actionem non inchoet: et si imprœventus eam inchoaverit, sibi imputet. Istè (nempè Reus) è contra invitus, & plerumque inopinatus, & impræparatus convenitur, & ad Judicium trahitur, & in eo comparere tenetur; quapropter potest ab Actore Instrumenta petere, ut suas defensiones instruat, & oppositionibus satisfaciat, secus verò Actor propria Instrumenta Rei, uti erant ista à Prioribus allata. Et, ob hanc etiam Causam, jura majori favore prosequuntur Reum, quam Actorem *C. Ex litteris 3. de Probat. C. Inter dilectos 6. de Fide Instrum., & leg. Favorabiliores 125. ff. de Regul. Jur.*

§. XVI.

83 Tertius libellus recensitus supra *§. XII. num. 66.* tres continet partes. In prima, reproducit instantiam pro Priorum exclusione à Comitijs. In secunda pro editione Instrumentorum ipsis communicanda. In tertia, conqueruntur de Patre Prouinciali, eò quod duobus suis libellis non prouiderit; & illorum vi, Patres Priores à Comitijs excludendos haud declarauerit. De prima, & secunda parte nil superest agendum, cum de his in responsione ad primum, & secundum libellum late sit discussum; & quamuis etiam de tertia parte in antecedentibus sparsim multa sint dicta, nihilominus in præsentiarum nonnulla adijciemus, quæ, & peruicaciam petitionis Magistrorum euincant, & iustum, ac prudens silentium Patris Prouincialis extollant.

84 I. Dictam Patrum Magistrorum instantiam tertio repetitam (vt Pater Prouincialis Priores voto priuatos declaret, eosque tamquam non Vocales è Comitijs eijciat) esse insubsistentem, & omnino futilem, ex dictis liquet, & ex nunc dicendis apertius patebit. Nam Patres Magistri suos tres libellos intra octiduum celebrationis Capituli Patri Prouinciali exhibuerunt, quo tempore hic nullam habebat facultatem ad declarationem aduersus Priores à Patribus Magistris exposcitam; quapropter nugatorie, ac dolosè dictam declarationem ab eo petere. Cuius ratio est, quia tali tempore nullus Superior valet aliquem ex Vocalibus voce actiua, vel passiua priuare, aut priuatum declarare, nisi seruata forma Decreti Vrban. VIII. tenoris sequentis = *Priuationis vocis actiuæ & passiuæ, ac inhabilitatis decreta, sententiæ ve ab eisdem Superioribus Ordinis latæ ne deinceps in ipso electionis actu pro-*

nuntientur, promulgenturue, *atque eæ promulgatæ*, *Vocales minime afficiant*, *nisi per mensem antè fuerint intimatæ parti*; *Sanctitas Sua omnino vetuit* = Apud Pignattell. *tom.* 10. *conf* 18. *n.* 10. & Matthæucc. *in Offic. Cur. cap.* 22. *num.* 28. Idipsum tenent Rodriguez, Miranda, & Poyrines, quos sequitur Lezana (loquendo de Præside Capituli) *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 15. *n.* 34.

II. Hoc strictius prohibent Constitutiones, & Statuta Ordinis, dum non tantùm per vnum mensem, sed per duos, seu integrum bimestre ante Capitulum, omnem querelam, seu litem contra quemlibet Electorum, seu Eligendorum interdicunt: nisi intra id tempus, quis grauis, & notoriæ culpæ deprendatur reus, cui à iure inflicta sit pœna priuationis vocis 3. *part. cap.* 9. §. 3. *in fine*, *in Nouis. lit. B. pag.* 225. *Idipsum* ante declarauerat Reuerendissimus Oliua, cuius declarationem confirmauit Vener. Innoc. XI. per Constit. In supremo militantis Ecclesiæ in Bul. Rom. nouiss. *tom.* 8. *Const.* 55. *pag.* 82. Imo per bimestre ante Comitia Prouincialia, & Congregationem Intermediam, nullo modo potest Capitulum priuatum per sententiam condemnatoriam, vel declaratoriam aliquem Patrem, cui ratione Gradus, aut Officij, vel alias vox actiua competat, tali voce priuare, nec priuatum declarare, vt expressè præscribunt Constit. Ord. 3. *part. cap.* 4. *num.* 6. Estque certum, quod in Capitulo priuato comprehenditur Pater Prouincialis, cum ex illo etiam componatur; & quod illud sit plus autoritatis præ isto solo. Nunc: si intra bimestre est interdictum Capitulo priuato aliquem Vocalem priuatum voce declarare; quomodo id poterit facere Pater Prouincialis se solo? *Argumentum* enim *à maiori ad minus* est validissimum in Iure. *C. Per venerabilem.* 13. *Qui filij sint legitimi*. Vnde de querelis aduersus vocem actiuam, vel passiuam Vocalium intra bimestre motis, aut molitis, non ad Prouincialem, aut Capitulum priuatum debet fieri recursus, sed ad Iudices Causarum, quorum est de habentibus vocem tàm actiuam, quàm passiuam, omnem controuersiam dirimere, vt disponunt Const. 3. *part. cap.* 9. §. 3. *num.* 1. *&* 2. Quod est intelligendum iuxta declarationem factam in cit. Const. Innocentiana *in supremo* §. *IV.* Quod etiam Reuerendissimus Schiaffinati specialiter pro Prouincia Chilensi sanciuit in quibusdam Decretis die 21. Maij 1738. expeditis, *Decreto tertio*. Et cùm Priores Conuentuales essent Vocales à Iure, ex latè dictis supra § I. *num.* 2. *&* 3., & pluries alibi: euidenter sequitur, Patrem Prouincialem octiduò ante Capitulum, nec intra bimestre, haud potuisse eos à Comitijs excludere, aut priuatos voto declarare, & perperam Patres Magistros pro dicto fine ad ipsum recurrisse.

85 Vnde immeritò dd. Patres Magistri in tertio suo libello querimoniam efformant de Patre Prouinciali, eumque malitiosæ & culpabilis moræ insimulant, eò quod suis primis libellis non prouiderit, eorumque petitioni haud annuerit. Nam ex dictis, tunc Magistrorum petitio erat importuna; & nulla; & si aliqualis, non

ad

ad ipsum, sed ad Iudices Causarum erat dirigenda, ex immediate dictis. Pro quo etiam facit *leg. Nulla 88. ff. de Regul. iur.*, ibi = *Nulla ibi intelligitur mora fieri vbi nulla petitio est*: adde, vel si quæ est, exceptione legitima elidi potest, ex *C. Non est in mora 60. de Regul. iur. in VI. leg. Nihil interest 52. ff. de Regul. iur.* Et reapse Pater Prouincialis legitima exceptione Patrum Magistrorum instantiam elisit, dum tertio libello respondit se tunc facultate carere ad annuendum eorum postulatis, ob expressum Constitutionis citatæ interdictum: Et quod si quidquam aduersus vocem actiuam Priorum haberent, ad Iudices Causarum recurrerent. Nec Pater Prouincialis aliter valebat procedere, & si aliud effecisset, vel prouidisset, fuisset insubsistens, & inane, vtpote limites suæ auctoritatis transcendens *C. Ea quæ fiunt 26. de Regul. iur. in VI.*, & ibi DD. *l. Factum 170. ff. de Reg. iuris*, & Glossa communiter recept. *l. 1. ff. de Iurisd.* Idcirco Magistrorum querimonijs, & prætensionibus aditum consultò præcludet verbis ex *C. Examinata 1. de Iudicijs*, desumptis, ibi = *Actionem, quam intentabas, incongruentem cognouimus, & ineptam &c.. vnde intentionem tuam in hac parte pronuntiauimus non tenere &c; ita tamen, quod si congruentem, & aptam intentare volueris actionem, respondere tibi teneatur*.

86 I. Et si Patres Magistri autumabant, dd. Breuia Apostolica, & Schedam Regiam minimè, aut non debito modo obseruari, debuissent tempus remedio applicando opportunum quærere, idest quo familia præscripta posset in Conuentibus collocari, & Pater Prouincialis ad id facultatem haberet, quod neutiquam in illo octiduo poterat verificari. Non primum ob breuitatem temporis, vt Religiosi ad Conuentus, vbi adesset necessitas, transferrentur, præsertim illic, vbi Conuentus sunt longè inter se distantes. Non secundum quia tunc Pater Prouincialis non potest Religiosum Conuentualem ex vno ad alium Conuentum remouere ob prohibitionem Legis. *3. part. cap. 15. num. 7.*, ibi = *Fratrem tamen nullum per mensem ante Capitulum Prouinciale de loco ad locum mutare poterit pro Conuentuali, nisi aliàs notabile scandalum Ordini, vel Conuentui redundaret*. Imo, non solùm tempus tali remedio idoneum seligere debebant, sed insuper præuia omni reuerentia, & respectu suum Prouincialem conuenire, eique præsumptam deficientiam familiæ in Conuentibus insinuare, vt tempore debito medelam afferret per *C. Præsumunt 22. C. Admonendi 57. caus. 2. quæst. 7.* Nisi enim subditi Prælatum præmoneant, hunc denuntiare, aut publicè arguere non possunt ex textu claro *in C. Si quis 2.*, ibi = *Postquam ab eis caritatiuè conuentus fuerit, vt Causam emendet, & eam corrigere noluerit, de recusat. C. Cum dilectus 20. & ibi* Glossa *ver. Præmonitum C. Qualiter 24. eod.*

II. Attamen, quod dd. Patres Magistri post altum trienale silentium, nulla conuentione, aut monitione præmissa, jam in limine Comitiorum, per publicos Libellos suum Prouin-

cialem dictæ inobseruantiæ denuncient, & arguant, & tàm intra, quàm extra Claustra pro Priorum exclusione effrenate decertent, poterit sine maximo scrupulo intendi? Similia conamina absque ingenti scandalo valent moliri, & ad praxim reduci? Neutiquam, & præcipue cum fierent per quatuor Viros ætate maturos, & in Sacra Theologia Magistros; quia ex D. Basilio *in Reg. breuior. regul.* 64. ibi = *Eo scandalum est maius, quò is, qui illud dat, maiori scientia, aut gradu præditus est*. Reuerentia, & subiectio suo Superiori debita cum simili facto conciliari valebit? Regulata Magistrorum peritia ægrè genuinam concordiam inueniet, vt immediatè subijcienda euincent. Imo, & quod ipsi penitus à se jugum subiectionis, & obedientiæ excusserint, liquidò probauit illud factum in *Relatione Facti num. IV.* summariè recensitum, & latè infra referendum §. *XVIII. num.* 91., & 92.

87 Nec dd. Patres Magistri possunt excusari respondentes, se in suis Libellis neutiquam Patrem Prouincialem alicuius culpæ Reum accusare, & arguere, sed dumtaxàt Priorum exclusionem petere, eò quod in suis Conuentibus requisitam familiam haud habuerint = Verum, si hoc dicant, non erit responsio satisfactoria, sed effugium futile, ac nullius momenti, quia huiusmodi dictum tenebit, si Libelli superficialiter, seu secundum Corticem literalem tantùm legantur; secus verò si introspiciantur, & secundum genuinum sensum considerentur. Nam præcipuus eorum scopus vertitur erga Priorum exclusionem à Comitijs, ob defectum familiæ Octo Religiosorum continuæ assistentiæ per citata Breuia Apostolica, & Schedas Regias præscriptæ. Et huiusmodi familiæ requisitæ defectus [si reuerà esset], vel esset ob culpam Priorum, vel Patris Prouincialis? Istius proculdubio, cujus est sufficientem familiam collocare in Conuentibus. Item in dictis Libellis asserunt, quod citatis Breuibus, & Schedæ haud sit obtemperatum, & sic inobedientiam, ac inobseruantiam certò supponunt. Totum quod à fortiori est Patri Prouinciali imputandum, quia ad ipsum, & non ad Priores attinet super dictorum Breuium, & Schedæ obedientia, & obseruantia inuigilare, & Conuentibus de præscripta familia prouidere. Igitur dicti Libelli Patrem Prouincialem reapsè imputatæ culpæ Reum accusant, & arguunt *Argum. C. Interposita* 70. *de Appell.*, & consequenter nunquam Patres Magistri à tali noxa excusari, & vindicari valebunt.

88 I. Cum ex dictis *à num.* 84. vsque nunc sit notum, ac etiam Tyronibus obuium, Patrem Prouincialem se solo, & intra bimestre Comitiorum adhuc cum Capitulo priuato, haud posse aliquem Vocalem voce priuare, aut priuatum esse, declarare; non valemus præsumere, rem adeò notam, & tritam dd. Patres Magistros latuisse, tum quia hoc esset illis crassissimæ, & supinæ ignorantiæ juris municipalis notam impingere: & huiusmodi ignorantia non præsumitur, sed pro culpa lata habetur, vti post Bald., & Bar-

Bartol. bene obseruant in C. Ignorantiam de Regul. Iur. in VI. Barbosa num. 25. Reiff. num. 14., & alij plures; tum etiam quia etsi gratis daremus, eos tali ignorantia laborasse, hæc nullatenùs valeret excusare ex cit. C. Ignorantia = ibi = Ignorantia facti, non juris excusat: argum. Can. turbatur 12. 1. q. 4. l. leges 3. C. de legib., & DD. Communiter. Vnde suspicari possumus, ad trinam Libelli exhibitionem Patri Prouinciali intra octiduum factam, non legis municipalis inscitiam, sed alium præconceptum finem eos impulisse. Et indubiè ità fuit, quià id fecere præmeditato studio, & ob multiplices fines, quos non multo post monstrarunt euentus. Sed præcipuus, obuius, & qui confestim patuit, fuit sequens.

II. Dicti quatuor Magistri varijs cauillationibus, artificijs, & conatibus præproperè intenderant Ministros Regios mouere, & excitare, vt tanquam Regiæ Schedæ Executores, eiusque obseruantiæ Vigiles, ex officio, intentam exclusionem Priorum à Comitijs ordinarent. Sed cum id minimè obtinere valuissent, ad dictos Libellos Patri Prouinciali exhibitos confugerunt, ista disiunctiua intentione. Si Pater Prouincialis suis postulatis annuens, Patres Priores voto carere, & excludendos esse à Comitijs declarabat, habebant intentum, & insuper Patrem Prouincialem suo facto implicabant, necnon ipsum inter, & Priores lolium discordiæ seminabant. Si verò Pater Prouincialis suis Libellis, aut non respondebat, aut non juxta petita: tunc titulo querimoniæ, vis, aut tuitionis ad Ministros Regios recurrerent, quod immediatè probauit effectus. Nam id fecere, & si non per se, & immediatè, mediatè tamen per quatuor Sacerdotes Iuuenes non Vocales. *Isti fuere PP. FF. Ferdinandus Moran, Antonius Valero, Franciscus* ~~Gama~~ Jozza, *& Emman Dubourg (Constat ex Instrumento sig. lit. D., & Processu Regii Tribunalis)* quorum duo exierant fugitiui à suis Conuentibus. *Isti sunt duo vltimi ex quatuor relatis (Ita constat ex citatis Instrumentis)* & illic venerant à Patribus Magistris conducti, vt cohortem armatam secum haberent. Dicti quatuor Iuuenes Supplicem Libellum Regiis Ministris porrexere, de Patri Prouinciali expostulantes, eò quod Libellis Patrum Magistrorum non responderit, nec eorum instantijs acquieuerit. *Totum constat ex citat. Instrumentis.*

III. Quis nunc hæsi abit huiusmodi Patruum Iuuenum recursum Patribus Magistris fore imputandum, & attribuendum? Nullus mentis compos, cum expresse habeatur *in C. Qui facit 72. de Reg. Iur. in VI.*, ibi = *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum*, & ibi *DD. C. Vt famæ 35. de Sent. Excom. & l. Quod iussu 180. ff. de Regul. Iur.* Quin Patres Magistros excuset, quod dictus Libellus non suo, sed dictorum Iuuenum nomine comparuerit, quia alias quod suo non licet nomine, liceret alieno, quod est contra. *C. Qod alicui 67. de Reg. Iur. in VI.* cui concordant *Can. Sicuti non sua 10. dist. 46., & l. Non vtique 2. §. 1. de Administ.*, & ibi = *Qod quis suo nomine exercere*

 pro-

prohibetur, id nec per subiectam personam agere debet. Et insuper quia quod vna via prohibetur alicui, id alia via non debet ei concedi ex *C. Cum quid* 84. *de Reg. Iur. in VI.* ibi = *Cum quid vna via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti,* & ibi *DD*; *cui concordant C. Vnic. de Cler. Coniugatis in 6, & l. finali C. Si mancipium cum concordan.* Igitur si Patribus Magistris non licebat immediatè, & per se, seu suo nomine huiusmodi recursum ad caetera Tribunalia interponere; [vel ob notoria Iura id prohibentia, vel ne experirentur inconueniens, quod prima vice, scilicet anno 1728. fuere experti] id nec mediatè per alios, seu alieno licebit nomine, & sic incidunt in Scyllam cupientes vitare charybdim. Et quod dicti Patres Iuuenes suos Libellos, etiam nomine Patrum Magistrorum Senatui Regio, & Gubernatori Regni exhibuerint, aperte constat ex Responsione Regij Fiscalis sub die prima Februarii, in qua ait, dictos 4 Patres praesentari nomine suo, & considerabilis partis Communitatis, in qua includitur Magisterium [nempe 5. Patres Magistri contrarij, qui sibi titulum Magisterii absolute arrogabant.] *Ita in Processu Regii Tribunalis pag.* 53.

§. XVII.

89 Cum à *num.* 66. vsque huc per quinque continuatos paragraphos de tribus libellis Patrui Prouinciali exhibitis sit locupletissimè actum, operæ prætium erit, vt ad recensendum alia Magistrorum facta transeamus. Die 31 Ianuarii hora secunda cum dimidia pro meridiana, post decantatas Vesperas, & præmissis aliis de iure præmittendis, Pater Prouincialis ad receptionem Patris Præsidentis Capituli processit, vt est dictum *in Relatione Facti num.* 3.; Et cum Pater Magister Fr. Franciscus Fuentes in Litteris Præsidentiæ primo loco positus, tali officio spontè cessisset, quatuor Patres Magistri anteriorum libellorum Auctores, & promotores, dictæ cessioni contentiosè obsistunt, absolute asserentes ; dictum Magistrum Fuentes sine releuantibus causis coram pleno Capitulo adducendis, ab eoque approbandis, haud posse dicto Officio cedere; & consequenter ad eius admissionem, & exercitium esse cogendum. Sed à pluralitate dictaminum aliorum Gremialium contraria resolutio præualuit, nempe huiusmodi cessioni spontaneæ locum esse. Idcirco Pater Prouincialis in Comitiorum Præsidem recepit Patrem Magistrum Fratrem Michaelem Chacon in dictis litteris Præsidentiæ secundo loco institutum, vt latius manet dictum *loc. cit. Relationis Facti*. Et vt liquidò agnoscatur, dictos quatuor Patres Magistros per tot contentiosa facta relata, & deinceps referenda, non legum obseruantiam promouere, sed dumtaxat dissidia ciere, Prouinciæ, & Comitiorum statum concutere cupivere, & totis suis viribus inhiant, eorum dictamen in præsenti facto minutim, ac seriò scrutemur.

90 I. Re-

90. I. Relatum Patrum Magistrorum dictamen est ab omni Iure, praxi, & æquitate alienum: qua propter haud erat auscultandum. Primo quià Constit. *Ord.* 3. *part. c.* 9. §. 2. *n.* 3. loquentes de illo, qui Litteras Præsidentiæ habuerit, tantùm dicunt ibi = *Is qui Capituli Præsidens institutus fuerit, ab omnibus pro Præsidente habeatur, & Præsidentis fungatur Officio*. Quin vltra disponat, illum huiusmodi institutionem acceptare, debere, aùt ei non posse cedere. Et licèt numero anteriori ordinauerit, quomodo Pater Prouincialis debeat ad dictarum Literarum Patentalium exhibitionem adigere nil tamèn ordinat quoad obligandum in illis institutum in Præsidentem Capituli ad Officij acceptationem. Imò nèc in ipsis Litteris Patentalibus Præsidentiæ adest præceptum, aùt minimum verbum illud indicans, quod in Præsidem nominatus ad admissionem, seù acceptationem obligatus censeatur; aùt si Officio cedat, alicui pænæ sit obnoxius. Et si Constit. Ord., aùt Rmus Pater Generalis Nominatum ad acceptationem obligare voluissent, facilè expressissent *argum. C. Inter Corporalia* 2. *de transl. Episc.*, & *C. Ad audientiam* 12. *de Decim.* Id ipsum confirmat illud iuris axioma = *Quod disponens non loquitur, voluisse non præsumitur*. Nàm; quæ speciali nota sunt digna, si specialiter non notantur, ex industria censentur omissa. *C. Quamuis* 4. *de Præbend. in VI.* & *l. Item apud* 15. §. 26. *ff. de Iure iur.* Reinff. *in C. In General.* 81. *n.* 3. *de Regul. Iur. in VI.*, & alij. Quapropter dicitur = *Non expressa, non nocent ex L. Non nunquam ff. de Condit.* & *L. Expressa* 155. *ff. de Reg. Iur.* Et quid speciali nota dignius prædicta Expressione? Nempè nominatum in Capituli Præsidem ad acceptationem Officij esse obligatum, & non posse Officio cedere? Quià in Prouincijs possunt inueniri alij Patres Magistri adeò Iurisperiti, & Legis Zelotes (similes istis quatuor Prouinciæ Chilensis) qui in casu simili ob defectum relatæ expressionis pacem Comitiorum turbarent, & vltro citroque Prouinciam mouerent. Imò potiùs in dictis Litteris Patentalibus Præsidentiæ ista clausula inuenitur = *aùt dignis de Causis spontè noluerit*. Ex qua manifestè eruitur, dictum in Præsidem institutum manere liberum ad Officij acceptationem, vèl non cum id significet litteraliter ly *spontè noluerit*.

II. Secundo. Non solum in Constitutionibus Ord., vt manet dictum, verùm nèc in Decretis Generalibus, aùt statutis municipalibus Prouinciæ Chilensis adest huiusmodi prohibitio, ne dicta cessio, aùt renuntiatio fiat, nèc statuitur pænas si fiat: quapropter neutrum est voluntariè statuendum, quià in materia communiter non prohibita (qualis est præsens) procedit illud vulgare axioma = *Concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur*. Glossa in *Cit. C, Inter Corporalia V. Non inuenitur*: & desumitur ex *C. Immune* 28. *q.* 1. & *C. Non indirectè* 1. *de Procurat. in VI.* cum similibus, & *communiter DD.*; cui consonat aliud axioma, nimirum = *Permissa esse censentur omnia, quæ non sunt prohibita*

 Ale-

Alexand. Oldrad. Barbos, Ancarran, & alij, quos sequuntur Tuscus *tom.6 lit. P. conclus.* 298. *n.* 1. & Lezana *in Sum. tom.* 1. *part.* 1. *c.* 15. *n.* 85., *&* *tom.* 4. *consf.* 6. *n.* 37., *&* 38.. Quod adeò inter Doctores inualuit, vt lege non prohibitum censeri prohibitum, superstitiosa prætensio dicatur, proût ex Surdo, & Barbosa ait Lezana *loc. cit.* Vnde, vt Religiosus electioni, aùt deputationi de se factæ possit renuntiare, sufficit, quod Superior (aut lex) id facere non prohibeat, vt docent Suar. *de Relig. t.* 4. *d.* 46. *sect.* 1. *num.* 12. Sigism. de Bonon. de *Elect. dub.* 37. *n.* 14. Passerin. *de Elect. c.* 20. *q.* 5. *n.* 19. *&* 20. & alij.

III. Tertio ex frequenti Prouinciarum praxi compertum habemus, in Præsides Comitiorum nominatos multoties (nullo refragante, aut contradicente) officio ante adeptam possessionem cessisse, eorùmque aliquos in Prouinciales electos exisse: quin vnquam Patres Generales contrarium statuerint, aùt hac de causa electiones cassauerint. Et, casibus antiquioribus omissis, tres recentiores tantùm referemus. In Comitijs anno 1754. in Prouincia Peruntina indictis, qui erat institutus Præses, officio cessit & dein euasit electus Prouincialis, & hoc Capitulum inoffenso pede à P~~rocuratore~~ Generali fuisse confirmatum, scimus. In Comitiis in Prouincia Chilensi anni 1749., & 1752. celebratis, qui erant primo loco in Præsidentes nominati, officio cessere, & dein fuerunt electi in Prouinciales, nullo contradicente, aùt impugnante, & inter Gremiales erant Patres Magistri, qui nunc tali cessioni opponuntur. Et quod plus est, in vltimo dicto Capitulo 1752. erat RectorProuincialis P. Mag. Soto (relata duo facta Prou. Chilensis constant ex eiusActisCapitularibus, inRegesto Ord. extantibus, qui minimè tunc contradixit) & nunc est præcipuus contradictor, & contradictionis promotor. Et dicta duo Capitula per Rmum PatremGeneralem fuere sine tali additione confirmata. Vnde ratione huius praxis (quæ *est optima legum interpres. C. Cum dilectus* 8. *de Consuet. L. Si de interpretatione* 37. *ff. de Legib.*) potuit Prouincia Chilensis in casus contingentia per anteriora facta regi, non obstante insolita, & ceruicosa quatuor Magistrorum renitentia, in qua indubiè processerunt non solùm inconsequentèr, verùm etiam contra illam generalem Regulam = *Nullus potest venire contra factum suum argum. C. Diuersis fallacijs* 5. *de Cleric. coniug. C. Proposuit.* 6. *de Fil. Præsbyt.* & Glossa in *C. quod semel* 21. *de Regul. Iur. in VI.*

IV. Quarto: quiuis potest suo priuilegio, & priuato fauori renuntiare, aùt Iuri suo cedere *C. si diligenti* 12. *de Foro compet. C. Si terra* 6. *C. Accedentibus* 15. *de Priuil. C. Ad Apostolicam* 16. *C. statuimus* 23. *de Regular. L. Siquis in conscribendo C. de Episc. & Cleric. & L. penult. C. de Pactis* vbi Glossa, & *DD.* Et sic ait quædam Regula = *Liberum est vnicuique Iuri suo cedenti* juxtà Textum *in L. Ius publicum ff. de Pactis & l.* 2. §. *Sed quia C. de jur. jur.* Rota *decis.* 265. *part.* 1. *recent.* Quod est adeò commu-

ne;

ne, vt esset inutile Doctores citare. Imò *quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum ex Regula 61. Iur. in VI.*; cui concordant citata *CC. Ad Apostolicam, & Statuimus*. Et contrarium accideret, si dictus Magister Fuentes, eo quod esset nominatus Comitiorum Præses, non posset Officio cedere, & si cederet, voce remaneret priuatus [vt Patres Magistri prætendunt, ex dicendis infra §§. *XVIII. & XIX. n. 91. & 96.*] quià tunc haud posset in Comitiis ad quoduis Prouinciæ Officium eligi, & prætextu fauoris, & gratiæ faciliter ad Prælaturas impediri, quod non est dicendum.

V. Quinto. In beneficijs Principum plenissima in fauorem recipientis facienda est interpretatio *C. Olim sibi 16. de Verb. sign. C. Quia circa 22. de Priuil. C. Cum dilecti 6. de Donat., & L. Beneficium 3. de Constit. Princip.* Et nomine *Principum* etiam veniunt Supremi Religionum Præsules, vtpotè earum Supremi Principes, vt ait Lezana in *Sum. tom. 1. part. 1. c. 15. n. 124., & tom. 4. consf. 39. num. 7., & 15.*, & Generales Ordinum Mendicantium esse Supremos Principes Religionis, & veluti Primates, & Patriarchas, ex vtroque Rodriguez asserit d. Lezana *d. consf. 39. n. 15. & consf. 56. n. 4.*; & in suos Subditos, Monarcharum instar, plenam authoritatem exercere, ait *n. 12.* Imò, nomine *Principum*, veniunt etiam Episcopi, juxtà Glossam in *C. Decet. 16. de Reg. Iur. in VI.*, vbi Reinffenst. *n. 2.* Et Prælatos Regulares Episcopis comparari, tenent Glossa *in Clement. 1. vers. Proprij de Reb. Eccles. non alienand.* Barbosa, Nauarr., & alij plurimi apud Lezan. *consf. 38. n. 32.*; Si autem d. Magister Fuentes huiusmodi Præsidentis Officio haud posset renuntiare, & cedere; & si cederet, priuationem vocis (qua, vt Magister gaudebat) incurret, vt dicti quatuor Magistri prætendunt; beneficium seù fauor Præsidentiæ Capituli ei à P~~rocuratore~~ ^ote^ Generali præstitus, non latissimè in eius fauorem, sed potiùs strictissimè, ac in eius perniciem interpretaretur; tùm ob rationem iam num. anteriori insinuatam; tùm etiàm quia non solùm fauore nouiter concesso careret, nempè Præsidentia Capituli; sed etiam voce actiua antecedenter habita maneret spoliatus. Ac insuper nolenti, & inuito Beneficium daretur, quod est contra *L. Inuito 69. ff. de Reg. Iur.* vbi *DD.*

De hac materia denuò agetur infra §. *XIX. n. 96., & 97.*, vbi videri possunt, quæ hic desiderantur.

§. XVIII.

91. Dicti quatuor Patres Magistri nondum satisfacti molita septem Priorum exclusione à Comitijs, & relata oppositione cessioni Præsidentiæ, in altiorem scopum collineare conantur. *Summa petit liuor, perflant altissima venti*, canit Ouidius *lib. 1. de Remed. amor.* & ibidem *lib. 5.* iterum; *summa petunt dextra fulmina missa Iouis*. In primo Capitulari congressu pro Patris Præsiden-

ris Comitiorum receptione inito, Pater Magister Soto, ex Rector Prouincialis, aliorumque trium Magistrorum Coriphæus, & lingua, tàm effreni temeritate processit, vt modo, & circumstantijs in *Relatione Facti num. III., & IV.* recensitis, quinque Vocales ex grauioribus, ac præuilegiatioribus Prouinciæ, in præsentibus Comitijs, voce actiua priuatos publicaret, & hi erant, Pater Prouincialis actualis, duo Diffinitores actuales, & duo Magistri, nempè Fuentes & Chacon, in Comitiorum Præsidentes, 1. & 2. loco nominati. Et licè tunc d. Magister Soto non dixerit, an hoc efficeret etiàm nomine aliorum trium Magistrorum ei adhærentium; tamèn cum in 4., & 5. libellis nomine omnium posteà exhibitis, necnon in libellis dein. Regio Senatui, & Gubernatori Regni porrectis, approbent quidquid dictus Magister Soto in suo Folio publicauerat, per *ratihabitionem* debet omnibus imputari, & attribui, vt tenent Doctores explicantes *Regulam IX. & X. Iuris in VI.* Et quod *Ratihabitio* in omni actu obtineat notat Glossa in d. *Regula X.*; & in C. *Auditis* 29. *de Elect. XI. ex post facto* ibi = *Ratihabitionem habere etiam locum in electionibus*. Et licèt quatuor capita in d. Folio contenta, tanquam futilia, & nullo jure fulta despectum potiùs, quàm responsum mereantur, nihilominùs singulis respondebimus, vt clarius pateat cœca Magistrorum peruicacia, ac effrœnis excludendi vota anxietas, & ne pro consensu habeatur taciturnitas, ex C. *Qui tacet* 45. *de Reg. jur. in VI.*; & *L.* 2. *§. Voluntatem ff. solut. matr.*

92. I. In 1. dicti folij capite continebatur priuatio Patris Prouincialis, eo quod licentiam dederit Patribus Definitoribus Morel, & Chagaray, vt ille iret ad Conuentum de Valparayso, & iste ad Conuentum S. Ioannis, & licèt d. Magister Soto in suo folio minimè expresserit, quo iure, aùt Statuto sit interdictum Patri Prouinciali, sub priuationis vocis pæna, licentiam conferre Definitoribus, & istis eam petere, tamèn Pater Magister Leyba hoc expressit. Nàm in sua libello die 3. Februarij Exmo Dno Gubernatori totius Regni exhibito, vt ipsi tanquam Prouinciali electo impartiretur auxilium (In Processu Regij Tribunal p. 100.) rotundis verbis asserit, Patrem Prouincialem Magistrum Quiroga, ex duplici capite dictam pœnam ipso facto incurrisse. Primum quia votum ad effectum electionis excæuit nimirum quia fecit Priorem Conuentus de Mendoza Patrem Præd. Fratrem Augustinum Robledo, loco Patris Magistri Chacon, qui tali Prioratui renunciauit. Secundum quia dedit licentiam relatis duobus Definitoribus, vt à Conuentu S. Iacobi exirent, quod per Decretum Rmi Patris Generalis est prohibitum sub pæna priuationis vtriusque vocis per biennium, tàm Prouinciali licentiam tribuenti, quam Definitori eam postulanti. Ità expresse ait d. Magister Leyba in citato libello. Et in alio (pro eodem effectu) die 20. Februarij Regio Senatui porrecto [In d. Processu pag. 123. à tergo] similiter inquit, Patrem Prouincialem, & relatos duos Definitores,

res,

res, ipso facto, in pœnam priuationis vocis actiuæ per quinquennium incurrisse, ob transgressionem citati Decreti hanc pœnam vtrisque imponentis = Insuper idem confirmat Magister Araya, veluti assertus Notarius Apostolicus, in Testimonio præstito die 3. Februarij in d. Processu à pagin. 135., vbi testatur = relatos Prouincialem, & duos Definitores in pœnam priuationis vtriusque vocis per quinquennium incurrisse ob dictam licentiam, per Decreta Reuerendissimi Schiaffinati pro Prouincia Chilensi expedita ad eiusdem Procuratoris instantiam.

11. Ita hoc necfigmentum nusquam in Prouincia auditum inverecundè referunt, & publicè testantur dicti Patres Magistri cum suis gregalibus. Sed vt euidenter constet, quantùm à vero aberrent, operæ pretium erit, citatum Decretum ad litteram transcribere. Reuerendissimus Schiaffinati dum esset Generalis Ordinis, sub die 21. Maii anni 1738 (non ad alicuius instantiam, vt dd. Patres perperam dicunt) ex officio, *motu proprio, & plena, certaque rerum notitia*, quindecim Decreta pro Chilensi Prouincia expediuit, quorum vnicum de hac materia pertractans (& est in ordine *Octauum*) est tenoris sequentis „ Octauo. Ad „ compescendam effrænem Prouincialium licentiam, quam ratio„ne summæ distantiæ a Nobis sibi temerariè vsurpant in grauiorum „ negotiorum tractatione, ac resolutione, & non absque ingenti „ religiosæ pacis præiudicio, & subditorum gravamine, statui„mus item, ac decernimus, quod Pater Prouincialis causas gra„ves (cuiusmodi sunt omnes, quæ privationem Officii, vocis siuè „ actiuæ, siuè passiuæ concernunt), & negotia grauia communia, „ vel particularia, quæ extra tempus Capituli Provincialis, vel „ Congregationis intermediæ fuerint determinanda, vel expe„dienda, nullatenus determinare, vel expedire possit, nisi du„dumtaxat cum quatuor Diffinitoribus actualibus, nec aliquo, „ vel aliquibus ex prædictis quatuor Diffinitoribus actualibus ex„clusis, vel non admissis, Capitulum privatum pro relatis effecti„bus per se, vel per alium celebrare valeat; sed ad eius celebra„tionem prædictos quatuor Patres conuocare, & admittere tenea„tur sub pœna nullitatis agendorum ipso facto, & absque alia „ declaratione, nec non priuationis vtriusque vocis per sexennium. „ Et determinationi, seù Sententiæ à majori parte votorum factæ „ consentire, & subscribere teneatur minor pars, etiam si pro hac „ steterit Pater Provincialis, sub relatis pœnis. Et ut faciliùs hu„jusmodi Diffinitorium possit congregari juxta præscriptum Con„stitut. Ordinis 3. *part. cap. X.* æditionis veteris, & recent. 3. *part.* „ *cap.* 14. *num.* 3. precipimus, & inviolabiliter observari manda„mus, vt in Conuentu magno S. Iacobi omnes Diffinitores actua„les de familia degant, nec non etiam Diffinitores additi, seu ad „ supplementum [si isti aliunde haud habeant aliud Officium cum „ tali residentia incompossibile] quo prædicto Conuentu decerni„mus, ut nullum ex dictis quatuor Definitoribus actualibus Pater „ Provincialis, etiam ad breue tempus, sub pœna priuationis vtriusque

„ que vocis per sexennium ipso facto incurrenda, vllo modo remo-
„ vere, vel exiliare possit: si tamen quis eorum convalescen-
„ tiæ, aut honestæ recreationis causa ad aliquem viciniorem
„ locum ire postulauerit, eidem ad necessarium, vel ad breve
„ tempus respectiuè huiusmodi licentiam concedere poterit. Et ut
„ prędicti Patres Definitores suam auctoritatem, & potestatem
„ etiam injudicando liberius exercere possint, & valeant, prohibe-
„ mus Patri Præsidenti Capituli, Patri Prouinciali, & aliis Patri-
„ bus cuiuscumque Diffinitorii etiam Capituli Provincialis, necnon
„ quibuscumque aliis Superioribus, etiam localibus, sub prædicta
„ pœna priuationis vtriusque vocis, nè ad aliquod Officium, vel
„ ministerium etiam non electiuum, tum cum cura Animarum,
„ tum sine illa, tum cum Iurisdictione etiam delegata, tum sine
„ illa, etiam sub titulo *Vicarii*, *Visitatoris*, vel *Administratoris*,
„ aut alio quocumque titulo, & nomine, aliquem, vel aliquos ex
„ prædictis quatuor Definitoribus respectiuè promoueant, vel pro-
„ videant; nec ipsi Definitores, vel eorum aliquis sub eadem pęna
„ priuationis, promotionem, vel prouisionem aliquam vllo modo
„ acceptent, vel exerceant. In Regestro Ordinis, & in folio Romæ
„ typis edito.

III. En litteralis, & integra citati Decreti dispositio, quæ est adeò clara, & aperta, vt ampliori declaratione haud indigeat: & si cum ea collationentur per dictos Magistros Soto, Leyba, & Araya præcipitanter asserta, à veritatis scopo penitus aberrant. Nunc dicite sodes Patres Magistri: qua in parte relati Decreti interdicitur Patri Prouinciali licentiam Definitoribus dare, aut istis eam petere? Tam longe abest vt huiusmodi prohibitionem inueniant, quin potius contrarium reperient in ly = *Si tamen quis eorum* (nempe Definitorum) *conualescientiæ, aut honestæ recreationis causa &c.* Etsi his titulis valet Pater Prouincialis illis licentiam conferre, potiori jure poterit ob fortiora, & justissima motiua, vt erant, quod Definitor Morel ad Conuentum de Valparayso viciniorē Prouinciæ per mensem cum dimidio transiret, vt suæ Matris in extremis vitæ constitutæ assisteret: & Definitor Chagaray iret per duos menses ad Conuentum Sancti Ioannis, vt suos Parentes inuiseret, ab illisque pro suis Religionis indigentiis (queis Prouincia ob eius paupertatem subuenire non valet) suppetias haberet. Præsertim, quando eisdem dictam licentiam concessit, dum ipse pergebat ad Visitationem Prouinciæ, & ad Conuentum S. Iacobi, nonnisi post quinque, vel sex menses erat reuersurus.

IV. Vnde in vim talis Decreti tantum Patri Prouinciali sub pęna priuationis vtriusque vocis per sexennium interdicitur, Patres Definitores, etiam ad breue tempus, à Conuentu S. Iacobi *remouere, vel exiliare*, quod non est idem, ac licentiam concedere, vt ex Conuentu egrediantur ad aliquod negotium peragendum, iterum ad eundem Conuentum reuersuri. *Remouere* autem ab aliquo Conuentu dumtaxat significat, transire ex illius

con-

conuentualitate ad aliam alterius Conuentus, & in hac significatione tantum accipiuntur verba *Remoueo*, *Amoueo*, *& Muto* in Constitutionibus Ordinis, vt aperte innuitur *3. part. cap. 5. num 22. cap. 11. §. 4. pag. 280. §. 5. numer. 1. pag. 282. cap. 12. pagin. 288, cap. 15. num. 7. cap. 16. num. 11. & 19. & cap. 17. numer. 12.*; Pater autem Prouincialis nec remouit à Conuentualitate Sancti Iacobi, nec exiliauit dictos Patres Definitores, quapropter ineptè pro præsenti casu huiusmodi Decretũ affertur. Velle namque ly *remouere* idem esse, ac *licentiam dare*, est intelligentia impropria, violenta, Constitutionibus Ordinis aduersa, ac nullius Iuris, aut Dictionarii authoritate fulta. Immo ex hoc sequeretur, citatum Decretum sibimet fore contrarium. quod aperte patet. Nam Decretum ait = *quo prædicto Conuentu* (nempè Sancti Iacobi) *decernimus, vt nullum ex dictis quatuor Definitoribus actualibus Pater Prouincialis, etiam ad breue tempus, sub pœna priuationis* vtriusque vocis per sexennium ipso facto incurrenda, *vllo modo remouere, vel exiliare possit* = Et immediatè ita prosequitur = *si tamen quis eorum* (scilicet Definitorum) *conualescentiæ, aut honestæ recreationis causa ad aliquem viciniorem locum ire postulauerit, eidem ad necessarium, vel ad breue tempus respectiue huiusmodi licentiam concedere poterit*. Igitur, si ly *remouere* esset idem, ac *licentiam concedere*, Decretum sibimet contrariaretur quod non est dicendum.

V. Ex dictis euincitur, nec per citatum Decretum, nec per Constitutiones Ordinis, aut aliud Statutum Religionis, esse interdictum Patri Prouinciali hujusmodi licentiam Definitoribus concedere, aut ipsis eam postulare, & obtentam exequi [& si dicti Patres Magistri contrarium infitiantur, assignent locum, vbi talis prohibitio inuenitur): quapropter ab ipsis proprio cerebro nequit comminisci, præsertim sub grauissima pœna priuationis vtriusque vocis, ex juribus, & rationibus supra relatis §. *XVII. nu. 9o II.* huic casui applicandis. Et hujus ratio est, primo quia in hujusmodi odiosis, & limitantibus auctoritatem, quam Superiores habent de Iure communi non valet extensio ad casus non comprehensos in lege ex similitudine rationis, ut ex Tusco, Felino, Barbosa, Suario, & aliis docet Passerin. *de Elect. cap. 3. quæst. 3. num. 61., & cap. 5. quæst. 2. à nu. 12. ad 27.*; Et cum Pater Prouincialis ex Iure communi, & municipali Religionis possit hujusmodi licentiam Definitoribus concedere ratione superioritatis, quam in ipsos habet, ac per consequens d. prohibitio esset odiosa, & illius auctoritatis limitatiua; sequitur, ut ex casu ipsi interdicto, nempe *remouendi Definitores*, nequat fieri extensio ad casum sub tali prohibitione non comprehensum in citato Decreto, videlicet ad casum *concedendi licentiam* Definitoribus. Secundò quia est certa Iuris conclusio, quod pœna non irrogatur, nisi expressè Iure caueatur, juxta *Authent. de non eligend. secund. nupt. §. fin. Autem*. Panormit. *in cap. 2. de postul. num. 17.* Tusc. *lit. P. concl. 816.* Nauarr. *in cap. 2. de renunt. num. 5.* Barbos. *axiom. 181. num. 7.*

*num.*7. Pafferin. *loc. cit. cap.*31. *quæst.*3. *num.*16., & alios plures. Quod fortius militat in pena priuationis vocis, vt docent Panorm. Nauarr., & Pafferin. *loc. cit.* Nam hæc dumtaxat habet locum in casibus per Constitutiones, vel Definitiones expressis, vt dicitur in Constitut. Ordin. *6. part. cap.*16. *num.*4. Quod potiori Iure tenet loquendo de priuatione vocis etiam per Sententiam declaratoriam, tam Patris Prouincialis, quam Definitorum actualium, ob Decretum immediatè *numer.* 93. *III.* referendum.

93. I. Imo adhuc in casibus in Constitutionibus, & Definitionibus expressis, vel extra impositis, aut imponendis, ut quis sit subiectus penis absolutionis ab officio, privationis vocis activæ, vel passivæ, & aliis huiusmodi ipso facto incurrendis (excepta tamen prout de jure pæna excommunicationis latæ sententiæ), semper opus est, ut in particulari superveniat sententia, vel declaratio Prælati *Argum. C. licet Episcopus* 28. *de præbendis in VI. C. Cum secundum* 19. *de Hæretic. eod.*, & juxta quamdam Glossam *in C. Fraternitas* 12. *q.* 2. communiter receptam. Idem docent *Rodrig. tom.* 2. *qq. Canon. q.* 71. *art.* 3. *Navarr. in Comment. de Datis, & promiss. Sotus de Iust. & jure q. 6. art.* 6. *ad* 4. Silvester. *V. Hæresis.* 1. *num.* 13. Tambur. *de Iur. Abb. d.* 19. *quæst.* 3. Lezana *in Summa tom. primo C.* 8. *numer.* 33. *C.* 10. *numer.* 30., & 31., & *tom.*2. *V. pæna Ecclesf. a num.* 8. & Farinac. *part.* 2. *Fragment. Vers. Lex. num.* 158., ubi hanc sententiam communiorem appellat, & Alex. *in L. Siquis major. Cod. de Transact.* ait: omnia jura mundi clamare, adhuc requiri declaratoriam. Eam expressè tenent Constitutiones Ordinis *in Prologo num.* 7., ibi = *Item declaramus, quod nullus sit subiectus pænis absolutionis ab officio, privationis vocis activæ, vel passivæ, & aliis huiusmodi ipso facto incurrendis, tam in Constitutionibus, quam extra impositis, vel imponendis (excepta tamen, prout de jure, pæna Excommunicationis latæ sententiæ) nisi superveniat in particulari sententia, vel declaratio Prelati, quantumcumque etiam notorium facti, vel Iuris, aut utriusque interveniat* = Et in nota marginali dicitur = *Pænæ sumunt effectum ex declaratione*. Imo & in *Indice pag.* 588. *V. pæna in genere* cum relatione ad citatum Textum *Prologi*, ibi = *Pænis quibuscumque preter excommunicationis nullus subijcitur, absque declaratione* = Idem Statutum terminanter habent incliti Ordines Predicatorum, & Minorum, ut testantur Pafferin. *de Elect. C.* 10. *num.* 126., & *C.* 25. *q.* 50. *num.* 599., & Reinsfenst *lib.*1. *Decret. tit.*6. § 9. *num.*228.

II. Et absolutè penam privationis ipso facto incurrendam non obligare ante sententiam declaratoriam Iudicis, seu Prelati, nisi aliter habeatur in Canone, vel lege usu receptis, optime tradit N. Nicolius in suis *Flosculis V. Pæna num.* 14. ubi refert, id approbatum fuisse a Sacra Congregatione *die* 5. *Octobris anno* 1646.

1646., & 26. Novembris 1649. quem citat, & sequitur Passerin. loc. cit. C. 10. n. 134. Et fortasse ob hanc causam multi ex citatis Doctoribus relatam doctrinam propugnantes sequentem addunt expressionem = Nisi lex in specie addat clausulam = *Alia etiam declaratione non sequuta, sive absque aliqua declaratione*, & adhuc in casu, quod dicta clausula apponatur, multi contrarium tenent apud Passerin. C. 25. *num.* 27., & 628. En, ut pœnæ, sive in Constitutionibus, sive extra impositæ, aut imponendæ, etiam si sint latæ sententiæ (id est, ipso Iure, vel ipso facto incurrendæ), ut quo ad actualem vocis privationem obligent, sortianturque effectum, indispensabilitèr debet præcedere sententia Iudicis, vel declaratio Prælati, nisi ipsa lex talem declaratoriam excludat. Et cum in nostro casu (adhuc gratis dato, & non concesso, quod esset talis pœna ipso facto imposita, tam Provinciali licentiam concedenti, quam Definitoribus eam postulantibus), non præcesserit sententia Iudicis, aut declaratio Prælati, ut de se est evidens, nec aliunde citatum Decretum declaratoriam excludat, ut intuenti patet, nequaquam Provincialis, & Definitores, adhuc in casu gratis permisso, erant d. pœnæ subiecti. Vnde adhuc in tali casu gratis permisso, etsi dicti Patres in pœna privationis ipso Iure essent incursi, non ob id essent ejiciendi a Comititiis; quia esto notorium esset, eos commisisse crimen, ob quod sint ipso Iure voce privati, non per hoc est notorium, quod ante sententiam declaratoriam criminis non possint valide eligere, & teneantur ab electione abstinere, cum hoc sit apud Doctores valde controversum, Vnde tales habens unde se, & suam possessionem defendere possint; quapropter non erant de facto sine Iudicis decreto sua possessione expoliandi. Ita Passerin. *de Electione C.* 14. *q.* 6. *num.* 32.

III. Et in casu controverso, non solum major, verùm & insuperabilis relucet difficultas, si consideratio habeatur ad undecimum Decretum Reverendissimi Schiaffinati [ex quindecim pro Provincia Chilensi expeditis die 21. Maii 1738.] tenoris sequentis = *Vndecimo Patres Definitores actuales, ex Præsidentem immediatum Capituli, Visitatores Provinciæ, Magistros in Sacra Theologia, ex-Provinciales, nec non Patrem a Generali Ordinis pro tempore deputatum in Præsidentem futuri Capituli [si aliquo eventu, eiusdem deputationis notitia ante actum Capituli ad Provinciam pervenerit] procesfari, voceque, officiis, aut gradibus privari, vel suspendi, aut privatos, vel suspensos declarari non posse ordinamus, & statuimus, nisi in definitorio pleno novem patrum, illorum scilicet, qui fuerant ex corpore Definitorii Provincialis, si casus ante Congregationem intermediam emerserit, vel de corpore definitorii Congregationis intermediæ, si post eam acciderit: Et ex his novem Patribus ad minus septem debent in privatione, aut suspensione convenire, ut determinatio vim sententiæ etiam declaratoriæ habeat, effectumque sortiatur. Insuper nomi-*

nominati Patres privationis, suspensionis, vel aliam respectivè pœnam non subeant, nisi ordine Iuris servato ob excessus, vel casus pro eorum respectivè expressos, id est contentos omnimoda claritate, & individualitate, & non per meram inferentiam, extentionem, aut implicitam continentiam; irritum, & inane ipso facto, & absque alia declaratione decernentes, quidquid propter alios excessus, vel casus, aut alio modo, seu juris ordine non servato contra aliquem ex relatis Patribus fieri, vel attentari contigerit. In Regesto Ordinis, & in folio Romæ impresso.

IV. Ex citati Decreti dispositione expresse habetur, quod ut Patres Definitores actuales, cęterique Patres ibi recensiti voce privati declarentur, cujusvis Iudicis, aut Prælati declaratio non sufficit, sed debet a fortiori esse Definitorii pleni novem Patrum, exqueis adminus septem in declaratoria privationis debent convenire, una cum aliis circumstantiis ibi expressis. Et licet inter relatos Patres non annumeretur Pater Provincialis actualis proculdubio est intelligendus argum. a minori ad majus, quod est validum in iure. Et indubie Decreti Conditor Provincialem actualem inter alios Patres haud expressit, quia ei in mentem non venit, quod successu temporis surrecturi essent subditi adeò effrænes, & temeritate perciti, ut in suum Provincialem Ius dicere intenderent, eumque privatum voce publicarent. Nunc a parte adversa sciscitamur. Quis fuit Iudex, vel Prælatus, qui sententiam declaratoriam privationis utriusque vocis in Patrem Provincialem, & Definitores protulit, ut præscribunt Constitut. Ordinis. *num.* 7. *Prologi*, & docet communis sententia? Vbi Definitorium plenum, a quo huiusmodi Declaratoria prodiit, ordine Iuris servato, ut citatum Decretum statuit? Vbi tot aliæ circumstantiæ in illo exposcitæ, sub totali irritatione in contrarium factorum, vel attentatorum? Nescimus ubi pars adversa quidquam dictorum inveniat, nisi forsan ad folium Magistri Soto, Libellos Magistri Leyba, & Testimonium Magistri Araya confugiat, eisque Iudicis, seu Prælati auctoritatem conferat, & vim sententiæ declaratorię Definitorii pleni attribuat. Sed si hoc effutire præsumpserit, erit novissimus error pejor priore, & dicti Patres haud carebunt culpa (& quidem gravissima), dum Superioris, ac Definitorii pleni auctoritatem usurpant, & rei ad se non pertinenti se immiscent, ex *C. Non est* 19. *de Regul. Iur. in VI.* cui concordant *C. Tua.* 19. *de Homicid.*, & *Leg. Culpa est* 36. *ff. de Regul. Iur.*

94. I. Ex dictis manifeste eruitur, quod Patres Magistri enormiter labuntur in omnibus suis dictis circa Decretum octavum *supra num.* 92. *II.* transcriptum, & præcipitanter, nimia anxietudine excludendi vota partis adversæ arrepti, absque certa, & individuali citati Decreti notitia simile commentum conceperunt, & publicarunt, & demum obstinatè sustinere procurant. Nec eis suffragatur, quod Magister Leyba in suis Libellis, & Magister

Ara-

Araya in suo asserto Testimonio dicunt, videlicet dicta Decreta lingua vernacula (nempe hispana) fuisse publicata in Provincia, eodem modo, ac tenore, quo ab ipsis referuntur, & ita fuisse acceptata, & usque modo observata. Ex quo inferri videtur, Patrem Provincialem Magistrum Quiroga per licentiam duobus Definitoribus præstitam, esse primum dicti Decreti transgressorem. Sed huiusmodi dd. Patrum effatum est penitus a veritate alienum, & dum suum primum lapsum celare contendunt, turpius labuntur, ut ex dicendis patebit. Quod primò asserunt, nempe citata Decreta lingua vernacula, & eodem tenore, quo ab ipsis refertur, fuisse publicata, & acceptata a Provincia, est planè inverisimile. Primò quia est insolitum, imo inauditum in Provincia, aut Decreta Generalitia, aut quascumque alias Patrum Generalium providentias tali modo publicare. Secundò quia in Libro, seu Regesto Provinciç haud inveniuntur lingua vernacula, sed latina, imo & Originalia Romæ typis edita. Tertiò quia non est reperibile motivum, quo in linguam vernaculam, ac tanta illegalitate, ac mutatione vertentur. Nam si hoc fraudulenter factum fuisset, solum foret, ut citati Decreti rigorem emmolliret, non verò ut illum accresceret, quod econtra accideret, si in linguam vernaculam verteretur, ut a Patribus Magistris refertur. Quartò quia dicta Decreta fuere publicata, & acceptata in Provincia in Comitiis anno 1740. celebratis (ut immediatè dicemus), & tunc extra Provinciam erant in Civitate Limana dd. Patres Magistri Leyba, & Araya, & nonnisi multis annis post in Provinciam rediere. Et Pater Magister Soto, his Comitiiis non interfuit, sed permansit in Conventu Conceptionis usque ad præsens tempus. Quapropter ex proprio auditu nequeunt hoc referre, nisi tantum ex puerili rumore paucorum Iuvenum fugitivorum, eis adhçrentium, ab illisque, ob nimiam anxietudinem excludendi partis adversæ vota, inconsultè amplexo.

II. Quod secundo dicunt, nimirum dictum Decretum Octavum, modo ab ipsis relato, vsque modò fuisse in Prouincia obseruatum, etiam veritate caret, quia post dictorum Decretorum admissionem semper Patres Prouinciales licentiam dedere Definitoribus actualibus, vt ex Conuentu Sancti Iacobi ad alios Conuentus, vel loca tam vicina, quam distantia exirent, per duos, vel tres menses, ob motiua justa, & honesta, nemine contradicente, aut contra dictum Decretum esse existimante. Quod discurrendo per singula Capitula Prouincialia à dictorum Decretorum acceptatione vsque nunc celebrata, liquido constabit, dicta Decreta Reuerendissimi Schiaffinati fuisse admissa in Prouincia in Comitiis in ea celebratis anno 1740.; vt ex Definitione 5. Actorum ad oculum patet, *ex Actis dicti Capituli in Archiuio Ordinis existantibus, & ex Instrumento signat. lit. K.* In his Comitiis fuit in Prouincialem electus Pater Magister Araniuar, & in eius

eius Triennio, & eum illius licentia, Patres Lectores Iubilati Fr. Laurentius Guerrero, & Augustinus Viloa Definitores actuales exierunt à Conuentu Sancti Iacobi, vnusquisque per duos, aut tres menses, & ad loca remota. In Capitulo sequenti, anno 1743. indicto, euasit in Prouincialem electus Pater Magister Caldera, & in hoc triennio, ac de eius licentia egressi fuere ex dicto Conuentu, per relatum tempus, & ad loca distantia, Patres Præsentati Franciscus Robledo, & Petrus Oliuares Definitores actuales. In Comitiis anno 1746. coactis fuit electus Prouincialis Magister Quiroga, & in triennio, & de eius licentia exierunt ex Conuentu Sancti Iacobi P. Pred. Fr. Petrus Velis Definitor, per duos menses, & P. Præsentatus Fr. Ioseph Pinto, pariter Definitor, per trimestre, & ad loca distantia. In Capitulo anno 1749 celebrato fuit in Prouincialem electus P. Magister Pozo, qui annum cum dimidio Prouinciam gubernauit, & tali tempore licentiam dedit bis P. Præsentato Ferdinando Oliuares Definitori, per duos menses pro qualibet vice. Et ob mortem dicti Patris Magistri Pozo fuit electus Rector Prouinciæ Pater Magister Soto (huius machinamenti inuentor, & promotor) & tempore sui gubernii, ac de eius licentia vlterius fuit egressus dictus Definitor Oliuares, per duas vices, ad bimestre pro qualibet, & ad loca distantia. In Comitiis anno 1752. celebratis electus fuit pro 2., nemine discrepante (præuia omnium Vocalium acclamatione), Pater Magister Quiroga, & in hoc triennio, ac de eius licentia egressi sunt Patres Definitores actuales Iosephus Morel, & Clemens Chagaray, per tempus, & ob notiua relata *num.92. III.* Pariter per duas vices exiuit de eius licentia ad bimestre pro qualibet vice, & ad loca remota, P. Lector Iubilatus Ludouicus Vadiola Definitor actualis. *Ex Instrumento proxime citat. litt. K.* Quæ omnia constant ex Instrumento authentico.

III. En in quinque Capitulis à dictorum Decretorum receptione elapsis, semper sunt egressi Definitores actuales à Conuentu Sancti Iacobi, vbi sunt de familia, ad loca, tam vicina, quam distantia, de licentia Patris Prouincialis, quin vnquam antehac ad ersus Patrem Prouincialem licentiam conferentem, aut Definitores eam postulantes, quidquam fuerit obiectum, aut de transgressione dicti Decreti somniatum. Quod aperte ostendit, nec tale Decretum fuisse in Prouincia intellectum modo nunc per Patres Magistros nouiter molito, nec tali modo vsque nunc esse obseruatum. Et est seria reflexione dignum, quod Magister Soto huius nouitatis Author, tempore sui Rectoratus, bis dedit licentiam Patri Definitori Oliuares ad bimestre pro qualibet vice, & ad loca distantia, absque scrupulo transgressionis asserti Decreti, aut timore incursus in pœnam priuationis vtriusque vocis per sexennium. Pariter est reflexione dignum, quod vltimo triennio ex quinque relatis, non solum sunt egressi cum licentia Patris Prouincialis Definitores Morel, & Chagaray;

ray, sed etiam per duas vices Definitor Vadiola, vt manet dictum proximè. (Imo iste vltimus ad longius tempus, & remotiorem locum præ Definitore Morel); Et cum Patres Magistri tantopere criminentur licentiam duobus primis concessam, vt ob eam tam ipsos, quam Prouincialem concedentem priuatos voce ipso facto contendant; de licentia vero tertio Definitori concessa penitus obliuiscuntur, aut de eius priuatione quidquam loquuntur; quin potius eum tanquam Vocalem legitimum, & sanum referant tam Magister Leyba in suis Libellis, quam Magister Araya in suo Testimonio supra citatis. Et qualis erit causa tam enormis differentiæ, seu inconsequentiæ? Est obuia, & notissima. Quia iste Definitor eis adhærebat, non verò duo illi primi, & idcirco hos, & non tertium excludere conantur.

IV. Alia pro vindicanda voce Patris Prouincialis §. sequenti dicentur, dum de dictis duobus Definitoribus agetur, vbi videnda. Pariter de alio capite, ex quo Pater Magister Lebya priuationem vocis Patris Prouincialis inferre conatur, videlicet quia votum ad effectum electionis instituerit, vt dictum est *supra n.92. I.* loquemur infra §.*XXV. num.*137 & 138.

§. XIX.

95 I. Secundum Caput in folio Patris Magistri Soto supra relato continet priuationem vtriusque vocis Patrum Definitorum Iosephi Morel, & Clementis Echagaray, eò quod à Patre Prouinciali licentiam postulauerint &c. Et licet de hoc capite singillatim discutere inutile videatur, cum dicta §. anteriori in fauorem Patris Prouincialis, istis æqualiter faueant; nihilominus pauca addemus, vt hoc neo figmentum plenius refellatur. In citato Decreto 8. Reuerendissimi Schiaffinati minime de Definitoribus actualibus quoad priuationis vocis pænam agitur, nisi in vltima eius parte incipiente = *Et vt prædicti Patres Definitores suam auctoritatem &c.* (videatur supra *num.* 92. *II.* vbi inuenitur integrum Decretum) & tali loco nequaquam de petenda licentia loquitur, sed dumtaxat prohibet Patri Præsidenti Capituli, Patri Prouinciali, & quibuscumque Superioribus sub pæna priuationis vtriusque vocis, ne ad aliquod Officium, Ministerium, aut Administrationem, aliquem, vel aliquos ex dd. Definitoribus promoueant, vel prouideant; & sub eadem pæna his interdicit promotionem, vel prouisionem huiusmodi acceptare, vel exercere: Totum ex textu dicti Decreti literaliter constat. Et cum licentia à Definitoribus postulata, & per Patrem Prouincialem concessa (ob motiua supra *num.* 92. *III.* relata) non sit Officium, Ministerium, aut Administratio, vt de se est euidens: sequitur, vt neque dd. Patres Definitores ob postulatam, & obtentam huiusmodi licentiam, in relatam priuationis pænam incurrerint; nec Pater Prouincialis ob eius concessionem. Et sic perperam

huius-

huiusmodi Decretum pro tali fine adducitur. Vnde erubescere deberent dicti quinque Patres, ætate prouecti, laurea magistrali insigniti, ac thecna obseruantiæ regularis laruati, similia figmenta comminisci, & palàm tam intra, quam extra claustra, & apud Regia Tribunalia euomere.

II. Item principale, imo & vnicum motiuum assignandi de familia in Conuentu Sancti Iacobi quatuor Definitores actuales, fuit ne Pater Prouincialis sine omnium illórum interuentu, & consensu causas graues, & magni momenti negotia, extra tempus Capituli Prouincialis, vel Congregationis Intermediæ occurrentia, tractaret, determinaret, aut expediret, vt ex dicti Decreti exordio constat, & expressius ex lij *Et vt facilius huiusmodi Deffinitorium possit congregari &c.* Et cum tempore absentiæ à dicto Conuentu Patrum Definitorum, Pater Prouincialis nullam causam grauem, aut alicuius momenti negotium tractauerit, determinauerit, vel expedierit, vt est notorium [nec ipsi Patres Magistri cum veritate possunt contrarium dicere], cum esset à dicto Conuentu longe distans, visitationi Prouinciæ intentus; manifeste euincitur, vt etiam ob hanc causam licentia Definitoribus concessa haud fuerit contra Decreti finem, & eius Conditoris mentem.

96 Tertium caput folii Patris Magistri Soto priuationem Patris Magistri Fuentes continebat, eò quod Præsidis Capituli nominationi cesserit. Sed d.Patrem potuisse valide, & licite tali officio cedere, manet dictum supra §. *XVII. num.* 90. *per totum*: & idcirco superfluum erit actum denuo agere. Et cum ex ibi dictis nullibi inueniatur prohibitum huiusmodi institutioni nondum admissæ renuntiare, aut cedere: non est liberum Patri Magistro Soto, & eius Sequacibus, similem pęnam statuere cum tanto Tertii grauamine. Et adhuc gratis dato, & non concesso, talem prohibitionem alicubi inueniri (quam minime assignabunt contrarii, nisi ad suas machinationes recurrerint); nondum dictus Magister Fuentes priuationi vocis, qua vt Magister gaudebat, esset subiectus, quin aliquo jure, lege, aut decreto, huiusmodi pæna esset ei expresse imposita, ex dictis supra *nu.*92. *V.*; quam alicubi reperiri expresse statutam, nusquam pars aduersa ostendet, etsi suæ cauillationis vexet molimina. Imo, quamuis esset expresse statuta, & esset *latæ sententiæ* (id est ipso facto, vel ipso jure imposita) adhuc erat opus sententia declaratoria Iudicis, seu Prælati, necnon Definitorii pleni, ordine juris seruato, vt cum effectu ei subiicere tur, ex dictis *supra n* 93. *per totum*. Et cum d.sententia declaratoria minime præcesserit, vt est euidens: sequitur talis priuationis pænæ haud fuisse obnoxium.

97 Alias rationes pro vindicanda Præsidentiæ cessione adducemus infra *num.*99. *&* 101. ibi videndas remittimus.

98 Quartum caput in citato Folio contentum erat priuatio vocis Patris Magistri Chacon Comitiorum Præsidis, eo quod Prioratui

ratui Conuentus de Mendozà renunciaverit. In statuenda istius priuatione, tam sine lege, & ratione contrarii procedunt, quam in tribus primis capitibus, ut ex dictis, & dicendis patebit. Constitut. Ord. 3. *par. c.*13. *num.*4. ad coercendas frequentes Prioratuum renuntiationes, quæ in Prouinciis fiunt, ita dispo-nunt ibi = *Quod Priores cuiuscumque Prouinciæ, seu Congregationis, qui absque legitima causa à Rmo Patre, & Patribus Diffinitorii Prouinciæ, siue Congregationis intra Italiam, extra Italiam verò à Prouinciali & Diffinitoribus recognoscenda, Officio Prioratus renuntiauerint, ad quemcumque Prioratum obeundum in perpetuum inhabiles sint.* Id ipsum præscribunt Decreta Generalia Capituli Romæ anno 1685. in dicti *titulo de Gubern. num.*1. *pag.*25. Quod ante erat declaratum, & confirmatum à Ven. Innoc. XI. in Bulla incip. *In supremo militantis Ecclesiæ* §. xviii. *In Bul. Romano noviss. tom.*8. *Constit.* 55. *pag.*82. Vnde tam Bulla, quàm Constitutiones, & Decreta tantum loquuntur de Priore sine legitima causa renuntiante, & legitimitatem causæ ad renuntiandum, Prouinciali cum Definitoribus recognoscendam committunt. Et absque legitima causa renuntianti, non priuationis vocis pænam, sed inhabilitatis perpetuę ad quemcumque Prioratum imponunt. Igitur à contrario sensu, qui cum legitima causa à Provinciali, & Definitoribus cognita, & approbata Prioratui renuntiat nulli pænæ est obnoxius: nam argumentum à contrario sensu non solum est forte, ac validum in utroque Jure; ex *c. Qualis hinc Dist.*25. *leg.*1. §. *Hujus rei ff. de Officio ejus* & *L. Qui testamento* §. *Mulier ff. de Testament.* & aliis; sed etiam fortissimum, & validissimum, ut loquitur Glossa in *c. Cum Apostolico VI. ver. datur intelligi de His, quæ fiunt à Prælat.*, & concordat citata *lex* 2.

99 I. Relato Constitutionis textui concordat alius ejusdem 3. *par. c.*11. §.1. *num.*6. ibi = *Statuimus insuper, ut si quis ad aliquod officium Ordinis exercendum promotus, & accitus* (videlicet à Definitorio Provinciali), *illud nulla rationabili causa impeditus subire contempserit, grauiter puniatur: si vero Prioratus officium acceptare renuerit sine causa prædicta, quam judicare tenentur Prior Prouincialis & Diffinitores, ad officium Prouincialatus, vel Prioratus alicuius nobilioris Conuentus de cetero inhabilis remaneat.* Et in citata Bulla Innocentiana *In Supremo militantis Ecclesiæ*, postquam §. xviii. declaratum est, renunciationes Prioratuum posse fieri modo dicto numero anteriori §. xix., ita prosequitur = *Quo circa textum nostrarum Constitutionum* 3. *part. cap.VII. num.*17. §.3. (editionis veteris, sed recentioris 3. *part.*
„ *cap.XI.* §. *I. num.*6. ut manet citat.) ibi = Si vero Prioratus offi-
„ cium acceptare renuerit sine causa prædicta, quam judicare te-
„ nentur Pater Prouincialis; & Diffinitores &c. *intelligendum esse declarantes etiam respectu eorum, qui prædictis officiis semel acceptatis renuntiare voluerint. Decernimus, & declaramus hujus-*

 modi

modi Patres suas renuntiationes coram Patre Prouinciali, & Definitoribus actualibus in Definitorio soltem Capituli priuati congregatis facere teneri, ad quod Definitorium causæ, vel causarum approbationem, prædictæque renuntiationis acceptationem, necnon, si post Congregationem Intermediam renuntiatio acceptari contingerit, Electionem, seu prouisionem alterius Officialis in locum renuntiantis sufficiendi jure pleno pertinere similiter declaramus; et si secus super his fieri, vel attentare contigerit, totum sit irritum, & inane ipso facto, & absque alia declaratione.

II. Ex citatus Constit. textus, cuius secunda pars [videlicet = *Si vero Prioratus Officium acceptare renuerit &c.*] , etsi ad literam tantum loqui videatur de his, qui nulla rationabili causa impediti Prioratus officium acceptare renuerint: tamen juxta declarationem proximè positam, etiam de illis intelligitur, qui post acceptata Officia sine dicta causa eis renuntiare voluerint; ac proinde tam primis, quam secundis debet aptare pæna in textu taxata, cum utrosque dispositio comprehendit. Sed primis non imponitur pæna priuationis vocis actiuæ, sed solum inhabilitatis perpetuæ ad Prouincialatum, vel Prioratum nobilioris Conuentus; Igitur idem est dicendum de secundis. Et sicut in primis ad Patrem Prouincialem una cum Definitorio saltem Capituli priuati spectat Judicare, & cognoscere de rationabilitate, seu legitimitate causæ ad non acceptandum Officium; pariter in secundis quoad eorum renunciationem, post acceptationem, nec non quoad electionem, seu prouisionem in locum renunciantium. Totum hoc omni moda æqualitate militat in alio Constit. textu *num. 98.* citato. His tanquam certis præmissis, ut ad incitas dictos Patres Magistros redigamus ab eis sciscitamur.

III. Si in vim citati textus Constitutionis, & dictæ Declarationis ad Patrem Prouincialem cum Definitoribus priuatiuè spectat cognoscere, & judicare de rationabilitate causæ ad renunciandum, quo jure, aut fundamento in renunciatione Prioratus Magistri Chacon jus dicere vultis? Si jam Pater Prouincialis cum Capitulo priuato, tanquam legitimam & rationabilem dictæ renunciationis causam agnouerat, & idcirco eam admiserat, & ad noui Prioris prouisionem transierat qua facultate satagitis in alienam messem mittere falcem, & rem Judicatam euertere? Si recusanti sine rationabili causa Prioratum admittere, aut sine ea, post acceptationem renuncianti, lex pænam inhabilitatis perpetuæ ad Prouincialatum, vel nobiliorem Prioratum dumtaxat imponit, quo Jure, aut titulo vultis, dictam pænam à lege taxatam, in aliam priuationis vocis actiuæ commutare? Forsan ne Judicatis, istam esse illa sensibiliorem & grauiorem? Absit, ut dictos Patres Magistros tam crassæ inscitiæ nota afficiamus, ut judicent, pænam priuationis vocis actiuæ pro hac tantum vice (uti deberet esse, vel ad summum per biennium, ex dicendis infra *n.* 101.) sensibiliorem, ac grauiorem esse pæna inhabilitatis

per-

perpetuæ. Quia hæc est pæna grauissima, ut ait Passerin. de *Elect. c.25. q.51. à n.619.* imo est mors civilis, capita minuit, & statum mutat. *L. Capitis. 1.* & ibi Glossa *ff. de Capit. diminut.* Redn. *de Elect. tom.3. tit. unic. sect.5. n.167.* Vnde Patres Magistri non ita volunt, & veluti pro aris & focis contendunt, quia ista pena ab ipsis molita sit sensibilior, & grauior illa à lege taxata; sed quia pro nunc suo scopo erat utilior, nempe, ut dictum Magistr. Chacon, non solum voto, sed Capituli præsidentia priuarent, quod ipsis pro animo erat. Et sic illis optime congruit, illud *C. Avaritiæ 5. de Elect.* ibi = *Avaritiæ cæcitas, & damnandæ ambitionis improbitas aliquorum animos occupantes, eos in illam temeritatem impellunt, ut quæ sibi à Iure interdicta nouerint, exquisitis fraudibus usurpare conentur.*

100 Nec releuat, quod à Patribus Magistris opponitur, nempe d. Magistrum Chacon post renunciationem Prioratus, per aliquot menses in ipsius Conuentus gubernio continuasse. Non inquam releuat, quia licet ipse fermè per annum integrum ante Comitia Prouincialia d. Prioratui renuntiasset, & renuntiationem ad Patrem Prouincialem misisset; tamen cum hic pro tunc esset in visitatione Prouinciæ, & longe distans à Conuentu S. Iacobi, ubi de familia erant Patres Definitores, quibus cum debebat dictam renunciationem, ac ejus legitimitatem & rationabilitatem pro acceptatione recognoscere, ex præscripto citatæ Bullæ. *In supremo* & Constitut. Ord. *3. part. c.13. num.4.* hac de causa non potuit promptè prouidentiam conferre. Sed finita Visitatione ad Conventum S. Iacobi rediuit, & illicò Capitulum priuatum pro dicto fine indixit, ubi dictæ renuntiationis causa serio recognita, & pro legitima ac sufficienti approbata; ad ejus admissionem, & noui Prioris electionem deuenit. Verum cum tunc esset prorsus impeditus aditus ex Conuentu S. Iacobi ad Conuentum de Mendoza, ob montes eleuatissimos copia niuis coopertos (lingua vernacula vocati *Cordillena*): non potuit pro tunc Pater Prouincialis dictum Magistrum Chacon de acceptata renunciatione certum reddere, nec nouiter provisum illuc remittere. Quod fecit statim ac tempus permisit *Totum constat ex Instrumento signat. lit. A.*. Vnde nil mirum, quod Mag. Chacon de relatis inscius Conuentus gubernium continuasset, quousque novus Prælatus destinatus aduenit, quod facere debebat, quia ex vi solius renunciationis non vacat Prælatura, quin à Superiore acceptetur *C. Admonet. 4. de Renunt.* Lyaman. *lib.4. trac.2. c.17. n.4.* Passerin. *de Elect. C.11. q.9. n.76. & 79.* Castellin. *de Elect. c.4. n.60.* Riccius *in Praxi rer. quotidian. tom.3. resol.399.* Lezana *t.1. par.2. c.12. n.45.* Donati *p.3. tract.4. q.8.* & alii, cum solum, dum à Superiore acceptatur, sit firma, & completa. Sic *citati AA.*

101 I. Patres Magistri in suscepta prouincia priuationis dicti Magistri Chacon (necnon Magistri Fuentes), alteri Constit. Ordinis textui fuere innixi, videlicet. *3. part. c.2. n.5.* ibi = *Nullus item*

 possit

possit voci suæ renuntiare sub pæna priuationis vocis actiuæ per biennium. Et ita fuisse liquido constat ex duobus libelis Patris Magistri Leyba, & asserto Testimonio Patris Magistri Araya supra *n.92.* citatis: ubi glorianter hunc textum afferunt, velut suæ intentionis Achillem. Sed infeliciter, quia dictus textus dumtaxat loquitur de expressa renunciatione vocis, ut legenti liquet, minimè vero de renuntiatione Officii: & cum hanc renuntiationem vocis, siue actiuæ, siue passiuæ neutiquam fecerit Magister Chaçon (& idem dicitur de Magistro Fuentes); allatus textus perperam pro tali fine adducitur, nec ad eos valet extendi ex vulgatis juribus legis odiosæ, ac pænalis, ac ex dictis supra *n.92 V. & 93. per totum*. Sed hac in re omne tollit dubium expressa declaratio citatæ Bullæ *In Supremo militantis Ecclesiæ* §. *Decimo nono* ibi = Verba autem Constitutionum 3. parte c.2. § 5. ibi =
„ *Nullus item possit voci suæ renuntiare sub pæna priuationis vocis*
„ *actiuæ per biennium*, de renuntiatione solius vocis, ut prædicta
„ verba sonant, non autem de renuntiatione Officiorum intelligenda
„ esse declaramus, & non aliter, neque alio modo.

II. Sed gratis dato, & non concesso, citatum textum posse etiam ad officii renunciationem extendi, nil inde subsidii Patribus Magistris obveniret. Primo quia pæna ibi taxata solum est *ferendæ sententiæ*, seu imponenda, ut ex ipsa litera haud obscure eruitur, sed clarius ex dd. Constitutionum *Indice pag.602. V. Priuatio vocis actiuæ* ibi = *Imponenda per biennium ei, qui suæ renunciauerit* = Et remissio, quo ad paginam, & numerum, dicto textui correspondet. In relatis verbis *Indicis* per illi *imponenda* aperte exprimitur pæna *ferendæ sententiæ*, ut apud omnes est in controuersum. Et cum pariter sit indubitatum, pænam imponendam, seu *ferendæ sententiæ* non incurri ante sententiam declaratoriam Prælati, aut Iudicis, ut ait *certa DD. sententia*, imo & si ante electionem Electori opponatur, oppositio nulla est, & valide eligit, ut cum Panormitano Siluestro docet Passerin *de Elect. c.10. n.133.* Hujusmodi judicis sententia non fuit in præsenti casu, nec naturæ priuationis incursus. Secundo quia quotiescumque pæna imponitur solum sub verbis comminatoriis, v. g. *sub pæna, sub interminatione, & sub interpositione &c.* talis pæna solum est ferenda, quia significat actionem futuram, ut ex Tiraquel. Sayno, Suario, Bonaccina & aliis, docet Lezana *t.2. V. Pæna n.5.* Et cum primo modo imponatur priuatio vocis in d. textu: sequitur, ut tantum sit pæna ferenda. Imo, ut supponunt communiter Doctores, quotiescumque verba, quibus pæna imponitur, sunt ambigua, ut tam latæ sententiæ, quam ferendæ significationem importare possint, accipienda sint solum pro ferenda, quia in materia pænali benigniorem partem sequi debemus. *C. Odia 15. de Regul. Iur. in VI.* & ibi Glossa *C. In pænis 49. eod.* Reinffest. ibi, Thesaur. in *Praxi par.1. c.3.* Sayrus *in Clavi Regia lib.3. c.8. n.22.* Passerin *de Elect. c.17. n.287.* Lezan. *loc. cit.* & alii

alii. Et cum citati textus verba ad summum sint dubia, ut pænam latæ sententiæ, vel ferendæ significent: fit inde, ut pro ferenda tantum sint accipiedda. Tertiò quia etsi gratis daremus huiusmodi pænam esse latæ sententiæ, adhuc Mag. Chacon in effectu non esset illi subiectus, ob defectum sententiæ declaratoriæ, ex dictis supra *num.93. per totum*.

102. Sed est seria reflexione dignum, quod tàm Magister Chacon, quàm Magister Solis, quoad renuntiationem Prioratus, æquo passu currunt: nam quasi eodem tempore, ille Prioratui Mendozæ renuntiauit, & iste Prioratui Conceptionis, ac in eodem Capitulo priuato ambæ renuntiones fuere acceptatæ. Nunc reflexio. Si tot querimoniæ, ac motus ob renuntiationem primi, cur non & secundi? Si in primum Zelus Patrum Magistrorum ad contradictionem tantopere exarsit, vt eum Voto, & Præsidentia Capituli priuare moliantur, cur secundum alto silentio prætereunt, vt nec verbum super ejus renuntiatione, aut priuatione loquantur? Quia iste eis adhærebat, vt ex subscriptione quinti libelli apparet, & ex quadam Epistola Patris Magistri Araya euincitur: secus verò ille: & hæc adhæsio est causa tantæ inconsequentiæ. +

§. XX.

103. Cum Comitiorum Præses ad Iudicum Causarum electiones vellet procedere nouitèr in campum contentionis prosiliunt dicti quatuor Magistri Leyba, Soto, Bergara, & Araya acriter contendentes, septem Priores à dictis electionibus fore exclu dendos, ob motiuum *in Relatione Facti num.V.* insinuatum, cui prætensioni aduersabantur Pater Præses, Priores, & ceteri Gremiales, & quidem meritò: cum hujusmodi dictorum Mag istrorum prætensio sit contra Constitutiones, & Statuta Ordinis, nec non immemorabilem, ac inconcussam omnium Prouinciarum praxim, vt ex dicendis patebit.

104. I. In electione Iudicum Causarum per ballottulas facienda vocem actiuam habere debent omnes illi, qui juxtà Constitutiones Apostolicas, & Ordinis 3. *part. cap.9.* §. 5. *titul. quomodo Prior Prouincialis Officio suo debeat renuntiare* vocem actiuam habent in electione Prioris Prouincialis, exceptis Discretis, etiam si adfuerint, vt expresè disponitur in eisdem Constitutionibus *loc. cit. c.9.* in *Notis. §.III. lit. A. pag.*224. Id ipsum declarauerant Reuerendissimi Patres Hyppolytus Montius, Nicolaus Oliua, & Dominicus Valuassorius, quorum Declarationes confirmauit Ven. Innocentius XI. per sæpius citat. Bullam. *In supremo militantis*, § *Secundo*, ibi = *In eorum* (nempè Iudicum Causarum) *verò electione suffragium ferant omnes, & singuli, qui vigore Constitutionum, Statutorum, Declarationum, vèl Priuilegij, seù alias vocem actiuam ad Prouincialis electionem proximè futuram prò illo tùm habuerint, seù in quasi possessione eligendi fuerint: irritum, & inane ipso facto, & absque alia declaratione decernentes, si secus*

Item etiam est notatione dig. quod PP. Mag. dicant Magistrum Chacon esse subiectum privationi vocis activæ pe[illegible] propter renuntiationem [illegible], quam hab[illegible] ex hoc, quod dict. P. Con[illegible] Mendoza. Nam interrogat[illegible] ab ipsis: Vel Prior N. Con[illegible] de Mendoza habebat vo[illegible] suffragandi in Cap. Pro[illegible] vel non habebat? Si non habebat ut dicunt PP. Mag. [illegible] libellis [illegible] sequentia: ergo Mag. Ch[illegible] nil vocis renuntiavit, quam fecit renuntiationem Prioris de Mendoza. et si illam ha[illegible] bat, [illegible] alia: ergo Priori N. Conv. de Mend[illegible] nil vocis deficiebat ad [illegible] suffragandum in Cap. Prov. [illegible]

 super

bus exceptis vitiat Regulam *leg. Regula est* 1. *ff. de Regul. Iuris*: ita in casibus non exceptis confirmat Regulam, *cit. leg. Seruo*. Et cum tàm Constitutiones Ordinis, quam Decreta declaratoria Generalium, nec non municipale Prouinciæ Chilensis, *locis supra citatis*, generaliter præscribant, quod electioni Iudicum Causarum intersint omnes Vocales, qui ad electionem Prioris Prouincialis debent concurrere, *exceptis Discretis, etiamsi adfuerint*: Hos solùm ab electione Iudicum Causarum excipit, & consequenter firmat Regulam erga interuentum Priorum.

II. Et vsque modo semper fuit interrupta praxis hujus Prouinciæ (& ni fallimur omnium Prouinciarum Ordinis), quod Priores dictæ electioni intersint. Ac proindè in vim hujus praxis debebant interesse, etsi in Constitutionibus, & relatis Decretis, haud inueniretur tàm clarè sancitum, quia per praxim declarantur Leges *Leg. si de interpretatione* 37. *ff. de Legib.* cum *concord. C. cum Dilectus* 8. *de Consuet.*, & ibi *DD.* Et si praxis est antiqua (vti est ista in Prouincia ab ejus exordio vsque nùnc absque interruptione); nullatenùs ab ea recedendum *l. Illud vsitatissimum* 19. *ff. de Excus. Tutor.*, & ibi Baldus., Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancel. gloss.* 9. *num.* 64. Lezana *in Sum. t.* 1. *p.* 1. *c.* 15. *num.* 125., & alij. Quod maximè tenet in materia electionis, vt docent Panormit. *in C. cum inter de Elect.* Lauorius *de Elect. tit.* 4. *c.* 13. *num.* 115. Tambur. *de Iur. Abb. t.* 1. *d.* 5. *q.* 3 *num.* 17. Sigism. de Bononia *de Elect. dub.* 45. *num.* 6., & Lezan. *loc. cit. num.* 107. 108., *&* 109. Vndè tàm insolita, ac intempestiua nouitas (vti erat dicta Magistrorum prætensio) nusquàm antè in Prouinciæ Comitijs audita, haud poterat animo imperturbato auscultari, aut concorditèr ad praxim reduci, cum *nouitates plerumque parturiunt discordias ex C. cum consuetudinis* 9 *de consuet.*, *& Extrauag. inter cunctas* §. *Sanè de Priuil.*, *& insolita* (præsertim Comititiorum tempore] *malam fidem arguunt*, *suspicionemque inducunt leg. si quis ff. de condit. instit.*, & ibi Glossa, & Bartol. Bald. *Cons.* 311. *vol.* 5., & alij apud Bertachin. *in Repertorio V. insolita*.

107. Dicta prætensione Patrum Magistrorum rejecta processum est ad electiones Iudicum Causarum, Prioribus vnà cum dd. Magistris ad eas concurrentibus, queis successere omnia ea, quæ *in Relatione Facti num. VI.* manent dicta, vbi videantur, ne actum superuacuè agamus.

§. XXI.

108. Die 31. Ianuarij hora octaua noctis, juxta computum horarum Hispanicum, Italicum verò hora secunda cum dimidia noctis, dicti Patres Magistri Patri Præsidenti Capituli, & Iudicibus causarum alium Libellum (qui est in ordine quartus) exhibuerunt sequentia continentem: Primum ipsis non fuisse ostensa Instrumenta per Priores producta, sicut per tres suos Libellos anteriores petierant: Secundum Decretum Patris

antequam Iudices Causarum eligantur, neque per se solus, neque cum alijs sub quibuslibet motiuo, vel prætextu, etiam qualificandi, aut legitimandi Patres, qui in imminenti Iudices Causarum electione actiuam, vel passiuam vocem habere debent, ex ijs aliquem vna, vel altera voce priuare, vel à prædicta electione excludere, aut priuatum, vel exclusum declarare. In d. Bullario loco citato. Nil expressius, & clarius prò subjecta materia poterat decerni, ac declarari. Vtramque dictæ Constitutionis Innocentianæ partem [nempè immediatè positam, & aliam superius *num.* 104. I. relatam], comprehendit *Decretum secundum* Reuerendissimi Schiaffinati [ex quindecim die 21. Maij 1738. prò Prouincia Chilensi expeditis] tenoris sequentis = „ Secundò decernimus, quod „ Pater Præsidens, antequam Iudices Causarum eligantur, nec per „ se solus, nec cum alijs sub quibuslibet motiuo, vel prætextu, „ etiam qualificandi, aut legitimandi Patres, qui in imminenti Iu„ dicum Causarum electione actiuam, vèl passiuam vocem habere „ debent, ex ijs aliquem vna, vel altera voce priuare, vèl à prædi„ cta electione excludere, aut priuatum, vel exclusum declarare „ possit. In eorum verò electione vocem actiuam habere debent „ omnes illi, qui juxta Bullas Apostolicas, & Constitutiones Ordi„ nis 3. *part. cap.* 7. § *Quomodo Prior Prouincialis &c.* in ædit. an„ tiqua, & in recentiori 3. *part. cap.* 9. § *V. nu.* 3., & 4. vocem „ actiuam habent in electione Prioris Prouincialis, exceptis Discre„ tis etiamsi adfuerint, vt declaratum fuit à nostris Prædecessori„ bus Hyppolyto Montio, & Nicolao Oliua, cujus declaratio con„ firmata fuit per SS. D. N. Innoc. XI. in sua Constit. incipient. *In* „ *Supremo Militantis Ecclesiæ Solio &c. num.* 6. sub die 17. Martij „ 1679. Et irritum, ac inane ipso facto, & absque alia declaratio„ ne decernimus si secus super his quouis modo fieri, vèl attentari „ contigerit. *In Regesto Ordinis dicti Anni, & in Folio Romæ impresso.* Hoc Decretum est idem terminis terminantibus cum anteriori in Bulla, *In Supremo* § 2. contento, quod indubiè Reuerendissimus Schiaffinati prò Prouincia Chilensi transcripsit, ne fortè illius Patres *primum*, tanquam peculiare Prouinciæ Quitensis, obseruare renuissent, quod immeritò ità judicassent, cum tale Decretum, non tàm sit dispositio municipalis prò dicta Prouincia, quàm Decretum declaratorium Constitutionis Ordinis, omnes ejus Prouincias obligans, ex dictis *supra* § *I. nu.* 5.

106. I. Interuentus Priorum electionibus Iudicum Causarum amplius comprobatur, dum Lex, vel Constitutio limitatoria certum casum excipiens, censetur hanc declarare, & confirmare in reliquis, juxtà tritum axioma = *Exceptio declarat Regulam*. Hinc Glossa communitèr recepta *in leg. In ijs quæ ff. de legib.* ait = *Exceptio à Regula firmat Regulam in alijs*, siuè = *Exceptio firmat Regulam in contrarium in casibus non exceptis cit. leg. In ijs leg. ex eo* 28. *ff. de Testib.*, *& leg. Seruo I. ff. de pecul. legat.* queis concordant *C. Dominus* 22. *q.* 7. *C. quoniam* 2. *de Conjug. leprof.*, *& comm. DD.* Et ob id generaliter dicitur, quod sicut exceptio in casibus

bus

bus exceptis vitiat Regulam *leg. Regula est* 1. *ff. de Regul. Iuris*: ita in casibus non exceptis confirmat Regulam, *cit. leg. Seruo*. Et cum tàm Constitutiones Ordinis, quam Decreta declaratoria Generalium, nec non municipale Prouinciæ Chilensis, *locis supra citatis*, generaliter præscribant, quod electioni Iudicum Causarum intersint omnes Vocales, qui ad electionem Prioris Prouincialis debent concurrere, *exceptis Discretis, etiamsi adfuerint*: Hos solùm ab electione Iudicum Causarum excipit, & consequenter firmat Regulam erga interuentum Priorum.

II. Et vsque modo semper fuit interrupta praxis hujus Prouinciæ (& ni fallimur omnium Prouinciarum Ordinis), quod Priores dictæ electioni intersint. Ac proindè in vim hujus praxis debebant interesse, etsi in Constitutionibus, & relatis Decretis, haud inueniretur tàm clarè sancitum, quia per praxim declarantur Leges *Leg. si de interpretatione* 37. *ff. de Legib.* cum *concord. C. cum Dilectus* 8. *de Consuet.*, & ibi *DD*. Et si praxis est antiqua (vti est ista in Prouincia ab ejus exordio vsque nùnc absque interruptione); nullatenùs ab ea recedendum *l. Illud vsitatissimum* 19. *ff. de Excus. Tutor.*, & ibi Baldus., Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancel. gloss.* 9. *num.* 64. Lezana *in Sum. t.* 1. *p.* 1. *c.* 15. *num.* 125., & alij. Quod maximè tenet in materia electionis, vt docent Panormit. *in C. cum inter de Elect.* Lauorius *de Elect. tit.* 4. *c.* 13. *num.* 115. Tambur. *de Iur. Abb. t.* 1. *d.* 5. *q.* 3 *num.* 17. Sigism. de Bononia *de Elect. dub.* 45. *num.* 6., & Lezan. *loc. cit. num.* 107. 108., *&* 109. Vndè tàm insolita, ac intempestiua nouitas (vti erat dicta Magistrorum prætensio) nusquàm antè in Prouinciæ Comitijs audita, haud poterat animo imperturbato auscultari, aut concorditèr ad praxim reduci, cum *nouitates plerumque parturiunt discordias ex C. cum consuetudinis* 9 *de consuet.*, *&* *Extrauag. inter cunctus* §. *Sanè de Priuil.*, *& insolita* (præsertim Comititiorum tempore] *malam fidem arguunt, suspicionemque inducunt leg. si quis ff. de condit. instit.*, & ibi Glossa, & Bartol. Bald. *Cons.* 311. *vol.* 5., & alij apud Bertachin. *in Repertorio V. insolita*.

107. Dicta prætensione Patrum Magistrorum rejecta processum est ad electiones Iudicum Causarum, Prioribus vnà cum dd. Magistris ad eas concurrentibus, queis successere omnia ea, quæ *in Relatione Facti num. VI.* manent dicta, vbi videantur, ne actum superuacuè agamus.

§. XXI.

108. Die 31. Ianuarij hora octaua noctis, juxta computum horarum Hispanicum, Italicum verò hora secunda cum dimidia noctis, dicti Patres Magistri Patri Præsidenti Capituli, & Iudicibus causarum alium Libellum (qui est in ordine quartus) exhibuerunt sequentia continentem: Primum ipsis non fuisse ostensa Instrumenta per Priores producta, sicut per tres suos Libellos anteriores petierant: Secundum Decretum Patris

tris Præsidentis ipsis intimatum nullius esse valoris quia nec erat Iudex, nec votum habebat in Comitijs, vt ab ipsis erat allegatum, & oppositum in folio Patris Magistri Soto, de quo in relatione Facti *num.* 4., *&* *supra* §§. 18., *&* 19. *à num.* 91. *ad* 103.: Tertium quod ad Tribunal Iudicum causarum, quò remitebantur, haud valebant recurrere, eo quod non sint Iudices, vtpote electi etiam à Prioribus, quorum Instrumenta recognoscere, & iudicare debebant: Quartum quod per exhibitionem præsentis Libelli minimè dicto Patri Præsidi submitti intendebant, & sic petunt, vt abstineat, & Priores è Comitijs eijciantur. Et pro coronide addunt, se habere notitiam, quod extra Conuentum sunt Instrumenta aduersus Priores, & id circo opus esse, vt vni eorum (scilicet Magistrorum) Ianua Monasterij aperiatur, vt ad conquirendum ea egrediatur. En Summarium huius quarti Libelli.

109 Huic Libello per Patrem Præsidem, & causarum Iudices sequenti modo fuit prouisum = Non esse locum dictæ Magistrorum instantiæ, eo quod terminus ipsis peremptoriè præfixus ad producendum Instrumenta promissa, & dicendum aduersus Vota Priorum, sit superabundanter elapsus, quin vllo modo comparuerint, aut quidquam in Priores opponerent. Et quoad reserationem portæ Conuentus, vt vnus eorum extra Claustra expediatur &c. similiter non esse annuendum ob circumstantiam horæ noctis, & quia hoc erat maioris tumultuationis indicium, cum notorium esset, varios Religiosos fugitiuos septa Conuentus circumire, ingredi procurantes = Hoc Decretum confestim fuit quatuor Patribus Magistris intimatum.

110 I. Omnia in citato Libello contenta sigillatim trutinari oportet, vt effrenis dd. Magistrorum clarescat temeritas, & iustitia prouidentiæ eorum instantijs datæ liquidius compareat. Primò, conqueruntur haud fuisse ipsis ostensa Instrumenta per Priores in Tribunali Iudicum causarum producta. Sed hæc exlegis querimonia, & instantia noua satisfactione non indiget, cum ex dictis supra §. *XV. a num.* 79. *ad* 86. sit ei locupletissimè responsum = Secundum eorum effatum varias continet partes, & de illis seorsim agemus. In prima parte dicunt, *Decretum Patris Præsidis ipsis intimatum nullius esse valoris, quia non est Iudex*. Verum huiusmodi dictum, est effrontis, & temerarius ausus viris Religiosis (præsertim in Sacra Theologia Magistris) prorsus indignus, quia de Iure solus Præses Capituli, eo tempore, est Caput, & Iudex, habens iurisdictionem; & Capitulum præscisso Præside, est collectio, seu Collegium Subditorum, quod iurisdictionem non habet, sed potius est iurisdictioni subiectum, vt tenent *Passerin. de elect. cap.* 14. *num.* 74., *&* *quæst.* 10. *num.* 77. *Lezana in Summ. Tom. primo part.* 2. *cap.* 12. *num.* 6., *&* *Tom.* 2. *vers. Præses num.* 2., *&* 6. *Peyrin. in Formular. litt. P. cap.* 8. *numer.* 3., *&* *ex Nauarro Bordonus resol.* 26. *num.* 2., & alij. Et si Ma-

Magister Chacon iam in Præsidem Comitiorum receptus, non est Caput, & Iudex, dicite sodes Patres Magistri, quis tunc erat Iudex, & Comitiorum Caput? Si aliud habetis, annuntiate nobis quale sit? Si nullum? Igitur Capitulum erat acephalum, & consequenter vos acephali estis, quod est contra C. *nulla ratione* 8. *Dist.* 93. ibi = *Tales enim, Acephalos, id est sine capite, prisca Ecclesiæ consuetudo non nouit.* *Confert.* C. *submittitur* 8. *dist.* 21., vbi Concilium est Acephalum, si maior Præsidentis auctoritas deest.

II. Vnde si essemus in casu alicuius Capituli non habentis Superiorem aliquem, qui sit totius Capituli Præses, & Caput, habens super toto Capitulo plenam iurisdictionem, tunc dicendum foret, quod Capitulum esset proprius Iudex ordinarius, & immediatus, ad quem spectaret decernere, & resoluere dubia circa validitatem vocalium nascentia, nec non alia ad electionis futuræ directionem, & legitimitatem concernentia. Quia cum tunc haud adsit præsens Superior, qui Collegij, seu Capituli bonum possit ex officio promouere, & tueri; totius Capituli est videre, quæ agenda sint, vt secundum leges fiat electio: & ita in his, & consimilibus huiusmodi Iudex est totum Capitulum; & quod fit, & decernitur à maiori parte Capituli, à toto Capitulo factum censetur, per C. *cum inuncti. de his, quæ fiant à maior. parte Cap.* Et huiusmodi est Collegium Cardinalium, vacante Papatu, vt habetur ex *Ceremon. Gregor. XV.* §. *Porro Capitulum*. Sed in Capitulis ProuincialibusRegularium Superiorem, seu Præsidem habentibus ad illum indubie pertinet Ius dicere circa ea, quæ ad electionis directionem spectant: & consequenter est Iudex, & caput totius Capituli, C. *quamuis de elect. in* 6. *Passerin. l. c. quæst.* 8. *num.* 51., *&* 52., *& quæst.* 10. *num.* 76., *&* 77 *Lezan. l. c. V. Præses num.* 3. *Peyrin. l. c. Bordon. l. c.*, & alij, & debet habere in nostris Capitulis tantam auctoritatem, & iurisdictionem, quantam Reuerendissimus P. Generalis per suas Literas Patentes committit *argum.* Præsidis Comitiorum Generalium (seruata pro portione) ex Constitutionibus *Ord.* 3. *part. cap.* 3. §. 2. *num.* 3. Nunc iterum à dictis Magistris petamus. Si P. Magister Chacon non est Iudex quem Superiorem, ac Iudicem pro tunc agnoscitis? Non dictum Patrem Præsidem, quia eum expresse repellitis. Non Magistrum fuentes, & quia officio cessit, & quia ob hoc remansit voce priuatus, vt publice asseritis. Quem ergo in Superiorem, Iudices, ac Comitiorem Caput agnoscere vultis? Forte nullum. Nam præter relatos haud erat tunc in Prouincia alius, cui posset hoc competere nisi fortasse aliquem Iudicem, & Superiorem habetis pro tunc inuisibilem, seu absconditum, postea tamen (tempore vobis arbitrario) videndum. Et reapse ita fuisse, non multò post declarauit euentus; nam in *Relatione Facti num. XI.*, recensitus.

Ad id, quod in secunda parte dicunt, nempe dictum Magistrum

Cha-

Chacon carere Voto in Comitijs', responsum est supra §. XIX. *à num. 98. ad* 103.

III. In tertio dicti Libelli capite inquiunt *quod ad Tribunal Iudicum causarum, quo remittuntur, non valent recurrere; eo quod non sint Iudices &c.*; Sed huic neo = figmento responsum est supra §. XX *à num.* 103. *ad* 107., ex quo apparet dictos Patres Magistros haud velle suam intentionem iuribus, & ratione fulciri; sed tantum omnis subiectionis iugum intra Prouinciam excutere, vt ceruicosa eorum voluntas in omnibus præualeat.

812 I. In quarto capite dicunt, *quod per præsentis Libelli exhibitionem, minimè dicto Patri Præsidi submitti intendebant, & sic petunt, vt abstineat* (videlicet à Præsidentis munere); *& Priores è Comitijs eijciantur* = Hoc Magistrorum dictum multiplicem contrarietatem, & improprietatem inuoluit à quarum narratione, & impugnatione abstinemus, ne hoc consultum in volumen acrescat. Solùm autem vnum, vel aliud reflexione dignum addemus. Iam tunc dictus Magister Chacon tanquam Capituli Præses erat Commissarius, & Vicarius Generalis vtpote Vicesgenerens, & Locumtenens nostri Reuerendissimi Patris Generalis, vt docent Constitutiones *Ord.* 3. *part. c.* 5. *n.*24., ac etiam *Bordonus resolut.*12. *num.*61. *Lezana in Sum. Tom.*2. *vers. Præses Capituli num* 9., & alij: & vt Vicario erat parendum, & deferendum tanquam illi, cujus vices gerit, & personam repræsentat: *argum. C. Præcipimus* 26. *dist* 93. *C. valde* 1. *dist.*94., *& C. sane quia* 11. *de Offic. Deleg.* cum similibus, & tenent *DD. citati*. Nam Vicarius in causa sibi comissa fungitur auctoritate sui Principalis, cujus vices gerit, vt ibi notatur, & gesta per eum, per Principalem gesta censentur, ex citatis *CC. Præcipimus, valde, & sane quia, & ex leg. etsi Prætor.* 3. *ff. de Offic. eius cui mandand. est iurisd., & leg. Solet.* 16. *de iurisd.* Vnde qui contemnit Vicarium, contemnit illum, qui eum constituit *C. accusatio* 152. *quæst.*7., *& argum. C. in nouo dist.*21., Et per consequens, si dicti Patres Magistri, dicto Patri Præsidenti submitti nolunt, & obtemperare recusant; nec illum, vt Iudicem, & Superiorem agnoscunt; totum id verificabitur de ipsis respectu Rmi Patris Generalis.

II. Similiter; inconsequenter loquuntur, dum *petunt, vt abstineat*, nempe à Præsidentis Officio. Nam si à dicto Officio abstinere debet, qua auctoritate Priores è Comitijs eijciet, vt immediate petunt? Si dictum Magistrum Chacon minimè, vt Iudicem, & Superiorem agnoscunt; quomodo volunt, ab eo Priores repelli? Fortasse pro istorum duntaxàt electione est Superior, & Iudex, eique submittuntur. & non vt ipsis Magistris præcipiat, eique parere teneantur? Monstruosas has combinationes facit cæca gubernandi libido.

813 Vnde huiusmodi Patrum Magistrorum effatum est euidens effrenatam

natæ præcipitantiæ signum, & notoriæ inobedientiæ augumentum. Quin à dictis teterrimis notis valeat eos excusare, quod ipsi à principio Præsidentiæ dicti Magistri Chacon restiterint, & contradixerint, vt in isto Libello, & quinto insinuare videntur. Non inquam eos excusat, quia licet in actu receptionis possent difficultates sibi in contrarium occurrentes religiosa moderatione obijcere tamèn postquàm iam erat in possessionem missus ab habente ad id auctoritatem, eis haud licebat obedientiam negare, aut illi tàm aperta facie obsistere. Et tunc temporis contradictionem, & renitentiam parendi adhuc sustinere, nescimus, qua conscientia fiat, aut quomodo à relatis notis valeant excusari? Cum non ad dictos Patres Magistros, sed priuatiuè ad Patrem Prouincialem spectet de Litteris Præsidentiæ inquirere, & repertas, executioni mandare, ac in eis nominatum in Officij possessionem ponere, vt disponunt Constitutiones *Ordin. 3. part. cap. 9. §. 2. num. 2., & seqq., & argum. C. Coram 34. de Offic. Deleg., & C. cum M. de Constit.* Iam totum id effecerat Pater Prouincialis, & tam ipse, quam alij Vocales, & omnes Religiosi illic præsentes dicto Magistro Chacon obedientiam præstiterant, eum quē in Capituli Præsidem agnouerant, imo & in electionibus Iudicum causarum, alijsque occurrentibus, Officios Præsidis obierat. Et post hæc omnia, adhuc dicti Patres Magistri submitti recusant? Forsan prætendunt, totam Prouinciam quatuor particularium arbitrio subijci, & omnia in Comitijs agenda ad eorum placitum gubernari? Absit hoc prætendere, imo & cogitare. Quia si eisdem liceret, Præsidem Capituli legitima auctoritate institutum, ac receptum, pro suæ voluntatis libidine respuere, aut ei non submitti, *huiusmodi demandata iurisdictio delusoria videretur &c. C. ex litteris 29. de Offic. Delegat.*, & in Prouincijs remotis dissidia, & scandala nunquam deficerent; quod impunè non est permittendum.

114 I. Pro coronide dicti Libelli addunt, *Se habere notitiam, quod extra Conventum sunt Instrumenta adversus Patres Priores, & idcirco opus esse, ut uni dictorum Magistrorum Monasterii janua aperiatur, ut ad ea conquirenda egrediatur*; Quam frivola, & puerilis sit isthæc Magistrorum petitio, de se liquet, sed ex dicendis liquidius constabit. Ipsi in primo Libello die 22. Ianuarii Patri Provinciali exhibito sequentia assertive dicebant, & crepantibus buccis publicabant = Patres Priores in suis Conventibus Octo Religiosos continuæ assistentiæ haud habuisse = Instrumenta ab illis allata esse subreptitia, & dolo extorta = Et Instrumentis contrariis totum id probaturos, pollicebantur = Et ob id petebant, dictos Priores illico, ut non Vocales in proximis Comitiis declarandos. = Hæc omnia a die 22. Ianuarii, animose asserebant, non clam in suis privatis cubiculis sed palam, ac iuridicè per suos Libellos Patri Provinciali exhibitos, nec non alibi Regio Senatui, & Gubernatori Regio obla-

oblatos, ut constat ex Instrumentis citatis.

I. Et cum hoc ita sit, quomodo nunc die 31. Ianuarii, hora octava noctis [Italice, hora secunda cum dimidia noctis), decendio post, tantum habent notitiam, dicta Instrumenta extra Conventum esse, & dicta hora e Conventu exire, & ad ea quærendum per Domos, vicos, & plateas cursitare prætendunt? Si dd. Instrumenta nondum habebant, nec viderant, quo fundamento innixi, decendio ante, exclusionem Priorum a Comitiis petulanter exposcunt, & ad ejus executionem, Priorem Provincialem adigere conantur? Quomodo Instrumentis nondum visis, & habitis, Instrumenta juridica Priorum blandiebantur elidere, & in terram prosternere? Totum hoc præpropere moliuntur, & sibi pollicentur tum præcipiti genio arrepti, tum suppetiis sæcularibus fulti, tum denique aliquorum Religiosorum subsidiis, quos a suis Conventibus disertare fecerant, & illic seductos adduxerant. Ab his fugitivis dicta Instrumenta malis artibus extorta afferri sperabant. Et cum certo scirent eos jam esse in Civitate S. Jacobi, imo & quod illa Regio Senatui exhibuissent. *Constant ex Processu Regii Tribunalis*, ideo fidenter dicunt, dicta Instrumenta extra Conventum esse, & insuper volunt, ut intempesta nocte uni eorum Conventus Ianua aperiatur, prætextu quidem dicta perquirendi Instrumenta, sed revera, ut per eam faciliter dictos fugitivos ad claustra introducerent, ut mox probavit eventus jam subiiciendus.

§. XXII.

115 I. Die 31. Ianuarii, post Campanulam Claustri pro silentio pulsatam hora nona cum dimidia noctis, *juxta computum Hispaniæ, sed Italiæ hora quarta noctis*, Pater Præses Capituli habuit delationem, quod multi Religiosi fugitivi circumcirca Conventus septa vagantes, scalis ea scandebant per Cameram Patris Magistri Bergara [quæ, velut Domus Rahab meretricis, hærebat muro. *Iosue cap.2.*]: illico ad lustrandum Conventum, aliis Religiosis associatus exivit, ut tam Decreto primo Reverendissimi Schiaffinati (ex XV. pro dicta Provincia expeditis, & sæpius citatis] pareret, quam ut videret, si esset verum, quod ipsi fuerat delatum. Accessit ad Cameram dicti Magistri Bergara, & in ea reapse invenit, Patres Magistros Leyba, Soto, Bergara, Solis, & Araya, necnon dictos Religiosos fugitivos, quorum aliqui statim per scalas in d. Camera præparatas [videlicet unam ex parte interiori, & aliam ex parte exteriori in via publica] per murum extra claustra exierunt, alii in d. Camera remanentes. Et cum eis Pater Præses sub præcepto formalis obedientiæ ordinasset, ut a dicta Cella exirent, Pater Magister Soto eis dixit, quod dicto Patri Præsidenti non parerent, nec eum ut Prælatum agnoscerent, sicut nec ipse, ut talem Prælatum agnosce-

sce-

scebat. Et insuper addidit, dd. Religiosos in sui defensionem habere. Et licet d. Pater Præses varias reconventiones dicto Magistro Soto fecisset, ut a sua inobedientia desisteret, obstinatior permansit. Quare ob talem notoriam inobedientiam, & auxilium fugitivis præstitum, ut eidem Patri Præsidenti obedientiam negarent, in eum processum summarium confecit. Et cum ex illo resultaret, d. Magistrum Soto in inobedientiam contumacialem, & excommunicationem majorem incurrisse ei sufficiens tempus præfixit ad se defendendum, & de tali noxa purgandum. Sed cum assignatum tempus fuisset superabundanter elapsum (cum ferme septem horæ transissent), quin d. Pater legitimas defensiones adduxerit, aut se purgaverit, sed potius per actus repetitos pervicaciam continuasset, de consensu Iudicum causarum, eum excommunicatione majori innodatum declaravit, ei simul præcipiendo, ut ad Prioris Provincialis electionem minime concurreret.

II. Totum hoc dicto Patri fuit mox per Secretarium Capituli intimatum, sed inutiliter, nam cum Vocales pro eligendo Priore Provinciali ad Capituli locum convenissent, inter eos adfuit d. Pater Soto, in sua inobedientia, & contumacia persistens. Et præmissis per P. Præsidentem diligentiis, & præcautionibus *supra* §. *III. num*. 10. *IV.* relatis, ad electionem Provincialis processit. *Ex Instrumento signato litt. H.*

116 Sed ante ejus executionem denuo Patres Magistri ad arma provocant, & sua conamina pervicacius instaurant per quintum Libellum Patri Præsidi, & Judicibus causarum porrectum, quo crambem recoquunt, dicentes = Per dicti Libelli exhibitionem non intendere submitti, ut protestatum tenent. Simul producunt Instrumenta adversus Priores, idcirco petunt, ut admittantur, & Priores a Comitiis ejiciantur. Huic Libello non solum PP. Magistri, Leyba, Soto, & Bergara subscripsere, sed eis tanquam Neo=athleta in subscribendo accessit Pater Magister Solis, qui quatuor anterioribus minime subscripserat, etsi fuisset præsens.

117 Dicto quinto Libello per Patrem Præsidentem, & Judices causarum ita fuit provisum = Cum elapsum sit tempus Patribus Magistris peremptoriè præfixum ad producendum dicta Instrumenta, ac simul notorium sit, & certum, quot irregulares conatus, ac manipulationes pro eis extorquendis expenderint, idcirco declarant, non esse locum dictis Instrumentis, & quod Processui aggregentur = Ita in summa Provisionis Decretum, quod fuit illis confestim intimatum.

118 I. In hoc Libello duo præcipue continentur capita. Primum in Ly *Per dicti Libelli exhibitionem non intendere, submitti*. Secundum Productionem Instrumentorum pro Priorum ejectione tantum comprehendit. Et cum de primo late sit actum, §. *anteriori num*. 112., *&* 113. de secundo dumtaxat

xat

xat supereſt agendum, ut juſtitia Decreti proviſionis liquidius compareat. Merito per Patres Præſidentem, & Judices cauſarum fuit deciſum = *Non eſſe locum dictis Inſtrumentis &c.* Nam erat plus æquo elapsus terminus eis ad opponendum, & Inſtrumenta producendum præfixus, quapropter hac ſuper re haud erant audiendi, quod fortius militat, ſi cauſa eſt concluſa, nam tunc pars adverſa cum alterius partis pernicie haud debet audiri, nec probationes novæ debent auſcultari, aut Inſtrumenta, ſi producantur, admitti. *C. Cum dilectus* 9. *de Fide Inſtrum. C. Paſtoralis. l. de Cauſ. poſſeſſ., & propriet.*, & tenet Gloſſa in *Clement. Sæpe contingit verſ. Non obſtante de Verb. ſignific.*, & in *C. Significaverunt* 36. *verſ. Liquere de Teſtib.*, & DD. citat. Quod in Actore præſertim debet militare, eo quod prævie præparatus eſſe deberet, & ad probandum ſuam intentionem diſpoſitus, priusquam actionem intentet, ac Reum ad Iudicium provocet, ex dictis *ſupra* §. *XV. num.*82. Et cum in præſenti caſu, præter lapſum temporis ad producendum dicta Inſtrumenta præfixi, etiam cauſa eſſet concluſa, ex dictis in *Relatione Facti numero VI.*, & dicendis infra *num.*120. jam Patres Magiſtros non debebant amplius ſuper negotio excluſionis Priorum audire, nec pro dicto fine Inſtrumenta nunc producta admitti, præſertim cum eſſent Actores, ex dictis §. *XV. num.*79., & 80., & idcirco debebant præpore eſſe præparati, ac Inſtrumentis neceſſariis muniti, priusquam intentarent actionem, & Priores in Judicium vocarent. Immo & tarditas producendi Inſtrumenta anticipate promiſſa, falſitatis præſumptionem inducit, *L. Siquis* § *l. ff. de Pœnis*, Lezana *tom.*4. *conſ.*55. *num.*19. plures alios citans.

II. Dicta Inſtrumenta extra tempus nunc per Patres Magiſtros producta variis ſcatent nullitatibus, nam nec per partem legitimam erant expoſcita, nec decreto Judicis data, ſed a quibuſdam Religioſis fugitivis dolo, & fraudibus extorta; Sed gratis permiſſo, quod dictis nullitatibus (imo, & aliis) non eſſent infecta, & quod aliqua veritate gauderent, adhuc in hoc caſu Inſtrumenta contraria per Priores exhibita haud eſſent rejicienda quin prius videretur, an utraque Inſtrumenta aliqua ratione inter ſe conciliari, & concordari poſſent, nam quantum fieri poteſt jura juribus ſunt concordanda, *C. Cum expediat.*29. *de electione in VI.*, & *comm. DD.* Quia *ſi conciliari, & concordari poſſent* utraque vim haberent, & erant retinenda, ut docent Decretaliſtæ *Lib.*2. *Decret. tit.*22. *de Fide Inſtrum.* Et hoc non eſſet difficile in præſenti caſu, nam Inſtrumenta per Magiſtros producta poſſent loqui de Familia Octo Religioſorum continuæ aſſiſtentiæ, hanc intelligendo, modo ab ipſis prætenſo, ac ſuperius relato § *VII. num.*38., & Inſtrumenta per Priores porrecti, de dicta familia, modo a nobis explicato. *cit.* §. *a num.*39. *ad* 55. Sed in hac varietate intelligendi *continuam aſſiſtentiam* ſtandum erit

con-

consuetudini, & praxi omnium Provinciarum illius Regni, ob dicta *loc. cit.* Si tamen, *conciliari, & concordari nullatenus possent*, tunc standum erat dignioribus [id est confectis a Notario melioris notæ, & majoris existimationis), & quæ magis carerent falsi suspicione *argum. C. In nostra 32. de Testib., & L. Scripturas. C. Qui potiores in pignore &c.* cum concordantiis, & Decretalistæ *loc. cit.* Tandem, si neutra aliquam prærrogativam habeant; ad invicem conquassantur, & neutri est credendum, sed tunc absolvendus est Reus *ex. C. In literis. 2. de Probat.*, & juxta *Regul. 11. Iuris in VI. Quia promptiora sunt jura ad absolvendum, quam damnandum.* Vnde Regula est, quod Actore non probante, Reus absolvitur, etsi nil præstiterit. *Cap. Cum Ecclesia. §. fin. de causa possess.* Videantur superius dicta, *§ XV. num.* 80. 81., *&* 82.

III. Nec aliquod adest fundamentum ad præsumendum, Instrumenta per Magistros producta esse digniora, aut magis carerere falsi suspicione, præ Instrumentis per Priores productis, & idcirco illis, & non istis fore standum. Non inquam hoc est præsumendum. Nam Fiscalis Regius (cui peculiariter ex officio incumbit executionem Regiarum Schedarum zelare, & pro earum obseruantia insistere) in sua Responsione data Regio Senatui die prima Februarij hora sexta pro meridiana. (*In Process. Regii Trib. pag.* 80. *&* 86.) inquit quod visis vtriusque partis certificationibus, & ęqua lance libratis, non inuenitur competens materia, supra quam cadat determinatio positiua, & peremptoria; & idcirco existimat, hoc negotium haud excedere terminos vnius benè fundati dubij. En quomodo Fiscalis Regius in subjecta materia loquitur. Et quando ipse perpensis Magistrorum Instrumentis, & cum aliis Priorum collatis, tantum asserit, præsentem controuersiam limites rei dubiæ non transcendere, mirandum est, Patres Magistros eo criminaliores, sine inspectione Instrumentorum contrariorum, prætensionem suam, tanquam certam ac indubitatam tenere, & buccis crepantibus decantare. Et si Fiscalis Regius, nec Instrumentis Priorum notam suspicionis falsitatis apponit, nec eos è Comitiis ejiciendos proponit: qua libertate dd. Patres Magistri, quin ea vidissent, & dolo ac fraudibus extorta, & Priores è Comitiis repellendos effrænatè contendunt?

IV. Sed cum ex relato Fiscalis Regii dictamine res controuersa adhuc maneat dubia, & ambigua, perpensis vtriusque partis documentis, tali dubio stante Priores debebant à Comitiis excludi? Minimè. Primò, quia cum partium jura sunt obscura, id est quando probationes, Instrumenta, documenta à partibus pro, & contra producta ita sunt constituta, ut consideratis considerandis Iudex prudenter discernere non possit, quænam præualeant, sed meritò dubius hæreat pro quanam parte genuina veritas, & justitia militet: tunc Reo potius, quam Actori est fauendum, & consequenter illum à petitione Actoris liberan-

randum ex C. *Cum sunt* 11. *de Reg. Iur. in* VI. cui concordant C. *Inter dilectos* 6. *de Fide Instrum.* ibi = *Cum obscura sunt iura partium, conuenit contra eum, qui petitor est, iudicare*, & C. *Ex literis* 3. *de Probat.*, & alia iura citata à Glossa in dicta Regula, & DD. ibidem. Secundo quia in odiosis & onerosis, v. g. in pœnis infligendis, stante dubio, semper mitiorem, & benigniorem, ideoque fauorabilem interpretationem amplecti oportet C. *Odia* 15. C. *In pœnis* 49. *de Regul. Iur. in* VI., & *DD. ibidem*. Nec ratione delicti dubii, aut pœnæ dubiæ aliquis est à voce actiua excludendus Passerin. *de Elect. cap.* 14. *quæst.* 7. *n.* 46. Tertio quia *in pari causa potior est conditio possidentis* ex *Regula* 65. *iur. in* VI. & *L. in pari* 128. *ff. eodem*: Id est *si duo parem causam habent, melior est conditio possidentis, adeoque a possessione dejici non potest, donec aduersarius legitimè probet, se meliori gaudere iure*: ait Reinffest. in explicatione dictæ Regulæ, & tenent alij ejusdem Interpretes. Et cum Patres Priores ex proprio officio, & titulo à primordijs Prouinciæ vsque modo fuerint in possessione juris suffragandi, ex dictis supra à num. 2., nequeunt per Ministros à dicta possessione dejici, stante tali dubio, & paritate causę. Quarto quia Fiscalis Regius in dicta sua responsione Iudicium supra determinatione, vel admissionis, vel exclusionis Priorum, Tribunali Præsidentis, & Iudicum causarum relinquendum censet; & cum jam per dictum Tribunal vota Priorum essent qualificata, & approbata: inutiliter, & obstinate Patres Magistri pro eorum exclusione decertant.

119 Aduersus doctrinam *num.* 118. I. datam fortasse opponent, sic: licet transacto termino per legem, vel statum præscripto ad probandũ inuita, aut contradicente altera parte admitti nequeant nouæ probationes, vt colligitur ex C. *Quoad consultationem* 15. *de Sent.*, & *re judic.* C. *concertationi* 8. *de Appellat. in* VI., & tenet communis apud Mascard. *de Probat. concl.* 1236. *num.* 15., & Reinffenst. *lib.* 2. *Decret. tit.* 19. §. 6. *num.* 171. & 172.; Tamen quando dictus terminus solum est præfixus ab homine, nempè à Iudice, possunt secundum æquitatem nouæ probationes admitti, & admissæ valent, etiam termino illo elapso, & non obstante contradictione partis, vt desumitur ex C. *Consuluit* 24. *de Offic. Deleg.*, & concordant C. *Si tibi absenti* 17. *de Præbend. in* VI., & *leg. Mancipiorum ff. de Optione legata*. Id ipsum tenent Glossa *in Clem. Sæpe contingit vers. Non obstante de verb. signif.*, & Mascard. *cit. Concl. num.* 1. & 2. 11., & *seqq.*, vbi copiosè DD. allegat. Et idem, quod dicitur de probationibus, debet de productione Instrumentorum discurri, ob identitatem rationis. Et cum in præsenti terminus elapsus non esset per legem, aut statutum præfixus, sed tantum ab homine, videlicet à P. Præside, & Iudicibus causarum: sequitur, vt etiam illo elapso, possint nouæ probationes admitti, & instrumenta produci &c.

I. Dictæ

 I. *Dictæ* oppositioni respondetur, Doctrinam traditam solùm subsistere, si elapso termino per hominem, scilicet Iudicem peremptoriè assignato, *res sit adhuc integra*, *& Iudici expedire videatur* argum. C. *Mora sua* 25. *de Regul. Iur. in* v1., *& cit. leg. Mancipiorum*, & tenent Felin. in C. *Licet causam de Probat. num.* 17., Mascard. *loc. cit. num.* 14 *&* 30., Reinffenst. *loc. cit. num.* 173. 175., *&* 177., Schmalzg. *lib.* 2. *Decret. tit.* 22. §. 4. *num.* 81., *& tit.* 27. §. *primo num.* 14., & plures alii. Et in hoc sensu loquuntur jura numero anteriori citata, nec non Glossa, & DD., vt legenti patebit. Vnde vt elapso termino ad probandum, & producendum Instrumenta per Iudicem peremptorie præfixo, adhuc possint nouæ probationes admitti, & Instrumenta produci, duo requiruntur. Primum *quod res sit adhuc integra*. Secundum, *quod Iudici expedire videatur*. Et ambo deficere in præsenti casu.

II. Defuit primum quia quando Patres Magistri produxere Instrumenta toties promissa, jam res non erat integra; sed potius conclusa, & finita. Nam tunc jam Pater Præsidens, & Iudices causarum Instrumenta tempore debito per Priores exhibita, recognouerant, eaque legitima, valida, & ad probandum intentionem Priorum sufficientissima judicauerant; consequenterque eorum vocem actiuam in Comitijs qualificauerant, & vocales legitimos declarauerant. A qua sententia qualificatiua, & declaratiua resilire nequibant, nec debebant, quia ea in causa dicti Iudices suo officio functi fuerant, cum sententiam tulissent, & idcirco eamdem causam haud poterant denuò reassumere, & cognoscere, C. *Atsi Clerici* 4. §. *fin. de Iudiciis* C. *Ex literis* 9. *de Offic. Iudic. Deleg.*, & ibi Glossa, & Panormit. *num.* 5. *Rota decis.* 21. *num.* 3. *par.* 7. *Recent.*, & ex Innoc. Tusco, Maranta, & alijs, tenent Passerin. de *Elect. cap.* 14. *quæst.* 8. *num.* 55. 52. *&* 53. (vbi terminanter, & ponderose loquitur) Reinffenst. *lib.* 1. *tit.* 29. §. 4. *num.* 125. 130. *&* 139. & plures alii.

III. Defuit etiam secundum (nempe *quod Iudici expedire videretur*), quia Pater Præses, & Iudices causarum nunquam id expediens judicarunt, sed potius contrarium ob motiua superius adducta. Etsi paulo post Priores à Comitiis ejecerunt, hoc tantum fuit necessitate compulsi, ob motiua *in Relatione Facti numer.* IX., *e* X. expressa, nec non §. X. *num.* 62. *per totum*. Et adhuc in tali præssura ejecti longè diuerso modo, ab eo per Patres Magistros intento. Nam hi totis lacertis procurabant, vt Patres Priores declararentur omninò à suffragio extranei, & consequenter quod tanquam non legitimi Vocales è Comitiis pellerentur. Pater verò Præses, & Iudices causarum longe aliter in negotio processere, quia eos vt legitimos Vocales cognouerunt, & declararunt. Etsi extrema necessitate præssi, eos tandem ab aula Capitulari ejecerunt fuit tamen sine præjudicio juris suffragandi, imo cum clausula dicti juris præseruatiua, vt locis proximè citatis manet adnotatum. Ex quibus sequitur, quod

nec

nec nouæ probationes, nec instrumenta aduersus Priores producta, termino elapso, debebant admitti pro fine à Magistris prætenso.

§ XXIII.

121 Sex Prioribus tandem ab Aula Capitulari modo dicto egressis illic dumtaxat remansere duodeviginti, computato Patre Magistro Soto, erga cujus voti nullitatem, & interuentum, Pater Præses coram vniuerso Congressu fecit declarationem, & protestationem supra §. III. *num.* 10. IV. relatas, nec non §. XXII. *num.* 115. indicatas. Vnde reapsè *septendecim Vocales legitimi & habiles* tantum fuere in Aula Capitulari superstites. Et nulla interposita contradictione, aut protestatione pro parte dictorum Magistrorum, siue contra Electores, aut eligendos [quamuis perperam Pater Magister Araya in suo asserto Testimonio *in Process. Regii Tribunal. pag.* 135., *&* 150. contrarium referat] hora octaua noctis cum dimidia, sed juxta compertum Italicum hora tertia noctis processum fuit ad primum scrutinium electionis Prioris Prouincialis, & eo peracto, Pater Magister Solis, qui erat primus scrutator, mox sequenti modo electionem publicauit = nempe Patrem Magistrum Fuentes esse electum Priorem Prouincialem *nouem suffragiis*, & Patrem Magistrum Leyba habere *septem suffragia*, & alios duos Patres, vnum suffragium pro qnolibet. Constat ex *Act. Capit.*, *& ex Instr. sig. litt. A.* Et audita publicatione electionis sub dicta expressione, illico Magister Soto alta, & petulante voce dixit = *Pro Reuerendo Patre Magistro Fratre Augustino Leyba stare electionem* (idest dictum Patrem Magistrum Leyba esse electum in Priorem Prouincialem); & illico dictus Pater Soto eum in talem Prouincialem agnouit, eique obedientiam præstitit, & ad idem exequendum suos Compartiales adduxit qui illius effatum velut Oraculum excipientes, dictum Magistrum Leyba in suum Prouincialem adoptarunt, & ad exequendum ea, quæ in *Relatione Facti num.* XI. sunt narrata, præcipites transiecunt.

122 I. Verè dictus Mag. Solis primus Scrutator defecit Scrutinio, & sui Officii partes enormiter transcendit cum talis modus publicandi electionem communem nomine totius Capituli sit penitus alienus a Iure communi, & Municipali Ordinis, & ni fallimur, in nullo Formulario, aut Authore invenietur. Et potius est modus publicandi Scrutinium secretum inter ipsos Scrutatores, quam publicandi electionem communem nomine totius Capituli. Vnde vel dictum Scrutinium publicare haud debebat, aut non eo modo, quo illud publicavit. Nam vel judicavit vi talis Scrutinii adesse pro aliquo ex nominatis electionem Canonicam, vel pro nullo? Si primum: illum solum debebat publicare, & nominare in electione communi, quem judicabat esse in Provincialem canonicè electum; quin exprimeret numerum

rum

rum vocum, quæ in illum consenserant, & omninò reticere debebat illum alium, in quem alia vota convenerant. Ita apertè constat ex Constitutionibus Ordinis 3. *part. cap.*3. §.5. *num.*6., agendo de publicatione electionis communis Reverendissimi Procuratoris Generalis Ordinis, & quod ipsummet debet observari in publicatione electionis communis Prioris Provincialis, præscribitur in eadem Constitutione 3. *part. cap.*9. §.6. *num.*5. In quo etiam concordant omnes Doctores de hac re tractantes. Vnde tantum in Actis Capitularibus extensis Romam pro confirmatione ad Procuratorem Generalem mittendis, debet exprimi, fuisse electum, vel omnium suffragiis, vel tantis votis, exprimendo numerum. Et si electio non fuit omnium votis celebrata, etiam debent exprimi illi Patres, qui aliqua suffragia habuere, & quot unusquisque eorum habuit, ut eadem Constitutio disponit 3. *part. cap.*11. §.4. *in Formular. Actorum pag.*278.

II. Si secundum (id est si existimavit pro nullo ex nominatis adesse electionem canonicam) nullum tanquam Provincialem electum publicare debebat; sed minimè publicatis in Scrutinio nominatis, & eorum suffragiorum numero, Scrutinium repetendum procurare debebat, ut optimè consulit Passerin. *de Elect. cap.*19. *quæst.*3. *num.*6. Aut poterat insinuare Capitulo, vi illius Scrutinii haud esse electionem canonicam. Vel Pater Præses poterat id significare Electoribus, recensendo etiam numerum vocum (si hoc opus esset) quas unusquisque habuerat, ut Capitulo innotesceret, vota secundum majorem numerum non consensisse in aliquem, ut consulunt Reinffenst. *lib.*1. *decret. tit* 6. §.12. *num.*296., Sanctorus de Melfiin *Stat. Minor. cap.*28. *statut.* 7., citans alios, ac in parte insinuant Zerola, Mandagoch, & alii apud Reinffenst. *loc. cit. num.*286., *&* §.14. *num.*330. Et tunc repetendum erat aliud scrutinium *argum. C. Cum in terra* 14. *de Elect.*, & ibi Panormit. *num.*13., *& C. Ecclesia* 57. *eod.*, & docent Passerin. *de Elect. cap.*18. *quæst.*7. *num.*28., *& cap.*19. *quæst.*4. *num.*19., Reinfenst. *loc. cit. num.*302., & Sanctorus. *loc. cit.* Id ipsum expresse ordinant Constitutiones Ordinis 3. *part. cap.*3. §.*V. num.*5. ibi = *Si vero in nullum major eligentium pars consenserit, iterum procedatur ad scrutinium, quousque electio sit canonica*. Queis in verbis clarè innuitur, non solum habendum fore aliud scrutinium, nempe secundum, sed etiam toties quoties opus fuerit, ut evadat electio canonica. Et ita expresè docent Passerin. *loc. cit. num.*19., *& cap.*33. *quæst.*10. *num.*227., & Reinffenst. *dicto num.*302. Et in cit. *Formular. Ordin.* de prima, secunda, & tertia scrutatione fit mentio. Et dicta scrutinia possent repeti, vel modo regulari, ac solito, sicut fuerat primum; vel modo in Constitutionibus antiquis disposito, & relato supra §.II. *numero* 9. *I.*

II. Sed cum dicta sint adeo manifesta & trita, ut etiam Tyronibus sint obvia, non fit credibile, ut Magistrum Solis laterent

rent, qui sex, vel septem Comitiis successivis interfuerat, & uni eorum Officium Præsidentis egerat. Et si res ita erat, cur in publicatione præsentis scrutinii, aut communis electionis, non solum enuntiavit, Patrem Magistrum Fuentes novem suffragiis esse electum, sed etiam adjunxit, Magistrum Leyba habere septem? Motivum certum nescimus, sed non temerè illud suspicari possumus. Siquidem ex signis externis bene præsumimus, *C. Sin nulla* 113. *de Consecrat. distinct.*4., & ibi Glossa *Vers. Veniebant. C. Vidua quidem* 34. 27. *quæst.*1., & ibi Glossa *Vers. Et oblationes*. Dictus Magister Solis à nocte anteriori quatuor aliis Magistris adhærebat, & in subscriptione quinti Libelli accesserat. Et indubie dicto modo scrutinium, & electionem communem publicavit, ut eis morem gereret, & ne ad præconceptum finem illis viam præcluderet. Nam dicti Patres ignorare non poterant, electionem communem, ejusque publicationem factam ab uno nomine totius Capituli esse adeo necessariam, ut si non fiat, electio ipsa sit nulla, nec nominatus in scrutinio possit confirmari *C. Quia propter* 42. *C. In genesi* 55. *de Electione*, & ibi Glossa. Idem ex Panormit., Hostiens., Butrio, Svario, Silvestro, & aliis, docent Castellin. *de Elect. cap.*3. *num.*19., Sigismund. *dub.* 37. *num.*1., Passerin. *de Elect. cap.*19. *quæst.*5. *num.*29., *& cap.* 31. *quæst.*2. *num.*9., & alii. Vnde ne hoc requisitum essentiale deesset Patri Magistro Leyba in scrutinio ab ipsis nominato, idcirco (ni fallimur) eum, velut fasciman, electioni Patris Magistri Fuentes adjunxit, & tali arbitrio visum fuit ipsis Classicum canere.

123. Sed Pater Magister Araya, tanquam assertus Notarius Apostolicus, in suo Testimonio supra relato, dictæ communis electionis publicationem sequenti modo factam refert = *Ego Magister Fr. Iosephus Solis primus Scrutatorum, nomine meo, & omnium, ad quos pertinet, præsens electio, eligo in Provincialem Reverendum Admodum Patrem Magistrum Fratrem Franciscum Fuentes novem suffragiis, & Reverendum Admodum Patrem Magistrum Fratrem Augustinum de Leyba, utpote digniorem, septem suffragiis, uno Reverendum Patrem Lectorem Iubilatum Fratrem Laurentium Guerrero, & Reverendum Patrem Lectorem Iubilatum Fratrem Ioannem de Oruno uno suffragio. In Proces. Reg. Tribun. pag.*135., *&* 150.. Et immediatè ita prosequitur = *Et publicata dicto modo electione, illico Pater Magister Soto, & alii Vocales de nullitate dixere, & appellarunt de Decreto, quoad Magistrum Fuentes pertinet tam ob nullitates protestatas, quam etiam ob certam inhabilitatem legalem, quam inter vociferationem audivi dicto Patri Magistro opponi, & eam non exprimo, quia mihi præcepit Reverendus Pater Provincialis Magister Frater Augustinus Leyba, ob justa motiva, & respectus, ut ab ejus expressione abstinerem in hoc præsenti Testimonio, sed in alio particulari erit exprimenda &c.* Hucusque in subjecta materia dictus Magister Araya, qui dum suo asserto Testimonio, exlegibus, ac

effrænatis suorum Compartialium gestis modum adhibere conatur, turpiorem illegalitatem accumulat, ut ex immediatè dicendis patebit.

124. I. Dictus Pater Magister Araya justificare procurans, & suorum conatibus aptare desiderans publicationem communis electionis supra *num.*121. relatam, in citato suo Testimonio sascimen illud, *utpote digniorem*, voluntariè adjecit, quo non solum eam non correxit, verum insolitiorem, ac irregulariorem reddidit. Primò ob superius dicta *num.*122. I. Secundò quia in electione communi ille tantum debet publicari, qui in publicatione scrutinii evasit nominatus, vel à toto Capitulo, vel a majori illius parte, ut est certum, & inter AA. indubitatum. Tertiò quia iij *utpote digniorem* relativè ad Magistrum Leyba, nil melioramenti eorum causæ attribuit. Nam post Concilium Tridentinum, nedum facienda est collatio meriti ad meritum, & zeli ad zelum inter Eligentes, ex latè dictis supra §.VI. *à num.* 20. *ad* 24., verum inter Electos est omittenda, nec conferendi sunt ad invicem ad videndum, quis illorum sit majoris meriti, & consequenter dignior, ut tenent Suarez *tom.*4. *de Relig. tr.*8. *lib.*2. *cap.*5. *num.*19., Tamburin. *disp.*5. *quæst.*6. *num.*15., & Passerin. *de Elect. cap.*19. *quæst.*4. *num.*12., ubi hanc sententiam per se veram appellat. Et quidem merito, quia judicare de meritis Electi spectat, vel ad Confirmatorem, si electio confirmatione indigeat, vel ad illum superiorem, ad quem potest haberi recursus, si aliquid contra idoneitatem electi sit objiciendum, ait Passerinus *loc. cit*; ex dictis Authoribus, *& cap.*18. *quæst.*8. *num.*40. Et hoc solum in singulari casu infra *num.*126. referendo. Et si, nec in Scrutatorum potestate, aut alterius ex Vocalibus est discernere de Eligentium merito, ut cum communi DD. tenet Passerin. *dicto cap.*19. *quæst.*4. *num.*14., quomodo poterit id facere primus Scrutator (adhuc ex suorum Compartialium dictamine) inter Electos, quod est difficilius? Facile enim erat, quod in hujusmodi collatione violaretur justitia, & charitas, excitarentur rixæ, & inimicitiæ graves, ut optimè inquit Passerin. *dicto cap.*19. *num.*16. Igitur ineptè, ac temerè dictum sascimen, *utpote digniorem*, fuit excogitatum, & electionis publicationi adjectum.

II. Quartò quia iij *digniorem* supponit alium coelectum (nempe Patrem Magistrum Fuentes) *esse dignum*, cum comparativus ad positivum, cui comparatur debeat referri, ac respectu positivæ dignitatis in isto repertæ, major dignitas alterius debeat mensurari. Ad hoc autem, ut in foro externo electio alicujus sit valida, nec possit impugnari, sufficit ut electus sit dignus, etiam prætermisso digniori aliàs omnes electiones possent calumniari. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst.*63. *art.*2. *ad* 3., & ibi Cajetanus Sotus *lib.*3. *de Iust.*, *& Iure quæst.*6. *art.*2. *conc.*8., Silvester. *V. Electio* 1. *quæst.*16., Lezana *in Sum. tom* 1. *part.*1. *cap.*15. *num.*12., Passerin. *de Elect. cap.*30. *num.*3. cum communi

ni DD., *& eodem C. quæst.2. num.*42. Vnde dignus canonicè electus potest licitè acceptare Officium ad quod eligitur, etiam si credat alium esse digniorem. Quia in ea causa ipse non est Iudex, & credere debet, Electores rem benè pensasse. S. Thomas *loc. cit.*, & ibi Cajetanus Sotus *loc. cit. conclus.*9., Sigismund. *de Elect. dub.*34., Lezana *loc. cit.*, Passerin. *loc. cit. quæst.* 4. *num.*65., *& quæst.*16. *num.*185., *&* 186 plures AA. congerens. Quintò quia nescimus, an dictus primus Scrutator, aut alias suorum Gregalium lapidem Lydium habuerit, pro discernendis hujusce majoris dignitatis gradibus, aut quo jure sit constitutus Libripens, ut justum ejus pondus designet. Etsi dicti Patres eam in senecta, & majori antiquitate Lecturæ, aut Magisterii statuere contendant, miserrimè labuntur.

125. Nec esset extra Chorum canere à dicto primo Scrutatore, eiusque Gregalibus sciscitari, in queis qualitatibus Pater Mag. Leyba sit Magistro Fuentes dignior? Sed hoc omittimus, ne forsan in collationes, aut odiosas, vel à fraterna charitate alienas prolabamur. Idcircò, dicta inquisitione omissa, dumtaxat quærimus, quis censendus sit dignior pro Provincialatu? Inutile fortassè videbitur, digniorem quærere, ubi vix possumus reperire dignum, ut ait Passerin. *loc. cit. qu.*1. *num.*5. sed poterit saltem proficere, ne altera vice dicti Patres ob relatæ vocis fiduciam Comitia perturbent, & in monstrum biceps Provinciam reducant. Major, aut minor dignitas in ordine ad Provincialatum, & quamcumque aliam Prælaturam regularem, non tam sumenda est ex bonitate absoluta, & in se Personæ electæ, aut ex augmento Doctrinæ, & sanctitatis, prout hæc sunt bona habentis, seu in ordine ad se, quam ex illis in ordine ad bonum commune Provinciæ V. g., & idcircò debet attendi ad alias circumstantias necessarias ad competenter, ac benè exercendum Officium, ad quod eligitur. Ita D. Thomas *ubi supra* S. Antonin. 3. *part. tit.*19. *c.*2. § 4 Sanch. *L.*2. *opusc. c.*1. *dub.*2. *n.*4. Sotus *l. c. q.*6. *art.*2. *&* 4. Lezana *to.*1. *c.*15. *num.*12., & Passerin. *c.*30. *qu.*1. *num.*12. 13., *&* 14., *& qu.*10. *num.*141.; ubi AA. cumulat. Vnde licet aliquis sit simpliciter doctior, sanctior, prudentior &c.; si tamen ei desint qualitates necessariæ pro Officio Provincialatus benè exercendo, eiusque obligationibus in bonum Provinciæ adimplendis [& idem de quavis alia Prælatura dicitur] respectu talis Officii nequit dici dignior, imò nec positivè dignus; quin potiùs debet existimari indignus, idest inhabilis, ac ineligibilis, ut docent *citati AA.* Et cum Magister Leyba, ob eius ætatem decrepitam, gravibus molestiis habitualibus vexatam, sit penitus impotens ad exercendum Provincialatus munia, ex dictis supra §. *III. à num.*10. *ad* 15. fit inde, ut non ipse, sed alius, qui eam valeat decenter exercere sit computandus illo dignior. Et consultò Constit. Ord. 3. *part. c.*9. §. 6. *num.*1. *&* 2. loquentes de qualitatibus ad Provincialatum requisitis, non exposcunt insignem sanctitatem, & doctri-

nam, sed solum quod *sit bonæ vitæ, & famæ, & in sacris Litteris mediocriter eruditus &c.*

126. Nos non latet, esse Authores, qui asserant, plures posse in Scrutinio nominari, ac in electione communi simul publicari. Ita tenet Passerin. de Elect. *c.*19. *qu.*4. *num.*13. (ubi hoc refert de Provincia utriusque Lombardiæ sui Ord. Prædic.) & *qu.*5.*n.*28. Igitur hac doctrina poterit excusari primus Scrutator, dum Magistros Fuentes, & Leyba in scrutinio nominatos, in electione communi simul publicavit. Non valet huiusmodi excusatio cum non sit locus dictæ doctrinæ in nostro casu. Nam ad eius verificationem duo requiruntur. Primum quod dictus modus nominandi, & eligendi plures simul, sit in usu. Secundum quod dicti plures sint nominati, & electi à maiori parte totius Capituli. Vtrumque tenet Passerin. *cit. loc.*, & ambo in nostro casu deficiunt. Deest primum quia in nostra Religione non est in usu dictus modus nominandi, & eligendi plures simul, & semel, & sic, ni fallimur, est in toto Ordine insolitus, & usquemodo inauditus. Deest etiam secundum quia Magister Leyba neque fuit nominatus, nec electus à maiori parte Capituli; quapropter perperam fuit in electione communi simul cum Magistro Fuentes publicatus. Nec hic defectus à primo Scrutatore commissus d. Mag. Fuentes electioni debet officere, cum fuerit in odium, & fraudem electi, ac per consequens electionem non vitiat *argum. C. Nobis fuit* 27. *de Simon.*; quia Iura dolis, & fraudibus non favent, & æquum est, ut innocens electus non patiatur ex eo, quod in eius odium aliquis defectus in publicatione electionis malitiosè committatur. Ita ex Hostiensi Panormit. *in C. Quia propter* 42. *de elect. nu.*16. Castell. *de elect. c.*4. *n.*54., & Passerin. *l. c. q.*6. *n.*36.

§. XXIV.

127. Magister Araya in suo asserto Testimonio *num.*123. relato non solum deviavit à verò in addendo d. farcimen, *utpote digniorem*, sed etiam relatione sequentium, quia reapse ita haud evenere, ut ipse inverecundè refert, sed ut sunt recensita in *Relatione Facti num.*11. Sed gratis dato, & minimè concesso, quod ea fideliter referret, ex eo nil profectus ipsis obveniret, tam ob superius dicta, quam ob immediatè dicenda. Primum asserit, quod *publicata electione modo dicto, illicò Magister Soto, & alii Vocales de nullitate dixere, & de Decreto appellarunt respectivè ad Magistrum Fuentes, tam ob nullitates protestatas &c.* Sed quam ob causam de electione, & Decreto sunt protestati, & appellarunt, nullam rationabilem tunc assignavere, nec modo assignant, & nec quidem *vox protestationis, aut appellationis* fuit tunc audita; quapropter nec nomen protestationis, aut appellationis extraiudicialis meretur cum adhuc ad hanc causa rationalis debeat exprimi, ut benè advertit Panormit. in *C. consideravimus* 10. *numer.*4. *de elect.*, & cum eo Passerin. *de Elect. c.*32. *qu.*1. *num.*6.

alio-

alioquin considerauda est frivola, & minimè attendenda; ut cum Glossa, Franco, & Innocentio tenet Passerin. *h. cit.* Videantur etiam superius dicta §.*XI. num.*64., *&* 65.

128. Nec recursus ad anteriores protestationes vagas, seu in genere eis suffragatur, tum ob dicta *numeris* 64., *&* 65. proximè citatis, tum etiam quia ante electionem tantum fuit oppositum adversus vocem activam dicti Mag. Fuentes [nempe in Folio Magistri Soto pluries citato] eò quod Præsidis Officio cesserit; quin minimum verbum erga eius vocem passivam, seu inhabilitatem ad Prouincialatum fuerit prolatum: Igitur recursus ad tales protestationes pro impedienda eius electione est omninò futilis, & dolosus. Præterquamquod si quidquam contra personam, & idoneitatem dicti Patris Magistri opponendum, vel protestandum habebant, debebant illud objicere prævié ad scrutinium, vel communem electionem, ut ei defensioni esset locus, aut si opus esset, se canonica purgatione purgaret, aut quando Pater Præses ex præscripto Const. Ord. 3. *part. c.*9. §.3. *num.*6. fecit solitam protestationem = ibi = *Si quis nouerit causam, propter quam vocem quis activam, vel passivam habere non debeat in præsenti Capitulo, eam referat Iudicibus causarum, alias enim sine vitio pertransibunt omnes electiones, nec postquam electio Prioris Provincialis cras incæpta fuerit, alicuius super hac re proclamatio admittetur* = Nam iam tunc contrarii dictum Magistrum Fuentes calumniari cæperant, dicentes = eum Officio Præsidentis cedere, ne ad Provincialatum esset impeditus. Et cum in nulla ex relatis occasionibus quidquam contra eius vocem passiuam, & idoneitatem ad Prouincialatum protulerint, aut opposuerint, & quod est plus, nec post publicationem scrutinii, & communis electionis [quamuis Magistri Leyba, & Araya perperam contrarium referant) in vanum nunc eius electioni insidiantur. Quia est experientia compertum, huiusmodi protestationes sæpius fieri non zelo justitiæ, se ad excludendos electos, & quod non fierent, si euasisset electus, quem protestantes desiderabant. Quapropter conuenit, ut fiant antequam sciatur quis sit electus, ut protestantes, & protestationes Iustitiæ, & veritati nitantur, non verò ex eventu huius, vel illius electi regantur, ut in quodam Statuto sui Ord. inquit Passerin. *de elect. c.*32. *qu.*3. *num.*52. Et meritò hic Author *l. c. qu.*1. *num.*6. in fine ait = *Ideò sæpius huiusmodi protestationes, & appellationes sunt frivolæ, & sunt dolosi prætextus ad impediendam electionem, & illam differendam inventi.*

129. Minus parti adversæ suffragatur, quod Magister Araya in suo asserto Testimonio adjecit de quadam inhabilitate legali dicto Magistro Fuentes obiecta, quam inter vociterationem, inquit, se audisse, sed quod eam non exprimit quia Magister Leyba suus Provincialis, ob justa motiva, & respectus, ei imposuit ne eam exprimeret in hoc Testimonio; sed in alio particulari pro-

 mi-

misit exprimere. En assertum dicti Magistri Araya, sed affectata charitas non exprimendi insinuatam inhabilitatem erit ne pietas laudanda, an malitia execranda? Quilibet prudens, impartialis censum aget, sed indubie secundum videtur, ut ex dicendis patebit. Dictum Testimonium fuit confectum die 3. Februarij, ut coram Regio Senatu Chilensi, imo & Limano compareret, nec non omnium notitiam, ac curiositatem occuparet, & quod vi illius restaret Magister Fuentes gravissimè infamatus, est incontroversum. Nunc sciscitamur. Si tanta cum publicitate eum denigrant, quo mysterio inhabilitatem illum deturpantem detegere recusant? Erit ne ex fraterna charitate? Ne quidquam, sed forsan, ut calumnia sit enormior, & læsio famæ atrocior. Primò, quia si Magister Araya d. inhabilitatem exprimeret, faciliter poterat Magister Fuentes ab eâ tueri, & à sinistra imputatione purgari. Nam cum in Ciuitate S. Iacobi sit persona notissima, ob eius illustrem propaginem, & quia supra 30. annos habet Magisterii gradum in S. Theologia, quamlibet inhabilitatem calumniosè orditam per graves, probos, & integros viros, domesticos, & exteros, poterat depellere, & quod in fumum abiret, quod nequit facere erga inhabilitatem vagam, genericam, & ad omnia crimina privationem vocis passivæ inferentia versatilem, & idcircò, ni fallimur, ait Magister Araya, quod ob justa motiva, & respectus (jussu Magistri Leyba sui Prouincialis) dictam inhabilitatem, in præsenti Testimonio non exprimit, sed in alio particulari exprimendam promittit, id est in alio Testimonio particulari, & priuato, ac forsan Romæ tantum videndo, in quo inhabilitatem pro suo arbitrio, ac malitia imputandam effinget; Nam ibi Magister Fuentes, quia summopere distans, haud poterit suam innocentiam probare, & calumniam repellere, & ob ignorantiam inhabilitatis sibi impactæ, instrumentis pro sua defensione illuc missis nequit præmuniri.

II. Secundò quia, si inhabilitatem exprimeret, una tantis via eum diffamaret, nempe in defectu, vi cujus imputatam inhabilitatem contraxerat. Sed publicando esse inhabilem, & inhabilitatem pregnantibus verbis reticendo, in omni linea, & crimine, ex quo potest resultare inhabilitas, eum denigrat. Nam cuivis malevolo lata aperitur via, ut pro suo nutu, & malitia inhabilitatem effingat. Vnde aliqui dictum Patrem Magistrum judicabunt inhabilem ob defectum alicujus ex quatuor qualitatibus pro electo desideratis in C. *Cum in cunctis* 7. *de Elect*; vel ex omnibus simul, cum simile factum nusquam in Provincia acciderit. Alii eum existimabunt inhabilem, ob defectum requisitorum in Const. Ordinis præscriptorum 3. *part*. C. 2. *num*.3. *aut* C.9 §.6 *n*.1. vel ob alia gravia crimina, privationem vocis passivæ inducentia. Et in tanta opinionum varietate d. Pater Magister multifariam restaret diffamatus. Igitur Magister Araya plus nocumenti, & infamiæ affert Magistro Fventes in abstinendo ab inhabilitatis imputatæ expressione, quam si illam rotundis verbis

ex-

exprimeret. Et si hoc fuit fraterna charitas, quid amplius faceret sevior crudelitas!

130 I. Sed gratis dato, & minime concesso dictum Magistrum Fuentes esse reum alicujus criminis, cui a jure esset ipso facto imposita pæna privationis vocis passivæ, seu inhabilitatis ad Provincialatum, adhuc tamen non erat tali pœnæ obnoxius ob defectum Sententiæ Declaratoriæ Iudicis, seu Prælati: tum ob communem Doctorum sententiam universaliter docentium, legem pœnalem, etiamsi sit latæ sententiæ, non ferre secum executionem, neque obligare ante sententiam, ut late manet dictum §. *XVIII. num* 93. *per totum*. Et interminis propriis pœnæ privationis utriusque vocis ipso facto idem tenent Carpenf. *tract. de legib. d.* 5. *num.*13. Bassæus *V. Pæna num.*7. Armilla *V. Lex. num.*1. Bordon. *Controv.*50. *num.*17. Palauf. *p.* 1. *tract.*4. *d.* 4. *num.*4. Lezana *in Summa. tom.* 1. *par.*1. *C.*8. *num.*33., *&* *C.*10. *num.*30. (& hi tres ultimi testantur etiam de praxi istius opinionis), & plures alii apud Passerin. *de Elect. c.* 25. *num.*625. Et de pæna inhabilitatis idem terminanter docent Portel. *V. Inhabilitas. num.*3. Bassæus, Bordon., & Lezana *ll. cc.*; ac alii multi apud Passerin. *l. c. num.*626.

II. Tum etiam quia hujusmodi Declaratoria intra bimestre Capituli Provincialis nequit fieri contra aliquem ex Vocalibus, *nisi solum propter casus graves, & notorios intra bimestre Capituli Provincialis emergentes, & quatenus Reo nulla defensio etiam probabilis de Iure competat, ac hujusmodi pœna, vel pœnæ sint à Iure inflictæ, & ipso facto incurrantur, vel incursæ fuerint*, ut Reverendissimus Schiaffinati statuit in tertio Decreto ex quindecim die 21. Maii 1738. pro Chilensi Provincia expeditis, & anno 1740. in ea acceptatis manet dictum supra §. *XVIII. nu.*94.

II. Nunc à dd. Patribus protestantibus, seu appellantibus, quærimus quale crimen Magister Fuentes in suo bimestre commisit, cui à jure sit ipso facto inflicta pæna privationis vocis passivæ, seu inhabilitatis ad Provincialatum? Et quod sit tantæ gravitatis, ac notorietatis, ut ei nulla defensio, saltem probabilis, de jure nequeat competere? Nullum expresse assignat Magister Araya [horum Attentatorum defensor, & author, potius quam Notarius] sed solum prægnantibus verbis ait = *habere certam inhabilitatem legalem, quam intervociferationem aulæ Capitularis audivit &c.* Et ob inhabilitatem vagam, & innominatam, vultis Magistrum in Sacra Theologia, genere, & antiquitate illustrem voce passiva privatum? Ob inhabilitatem inter vociferationem capitularem à quodam anonymo, seu malevolo prolatam, & à Magistro Araya auditam, seu propius molitam electum in Provincialem contenditis ab officio dejicere? Qualis Iudex aut Prælatus declaratoriam dictæ inhabilitatis in eum fulminaverit? Nam hæc est necessaria in similibus pœnis, & inhabilitatibus etiam ipso facto incurrendis, ut constat ex proxime dictis, & hoc *quantumcumque etiam notorium facti, vel Iuris, aut utriusque interveniat*,

 ut

ut dicitur in Constitutionum *Prologo n. 7.* Et si hæc non præcessit quis vos constituit Iudices in materia tantæ gravitatis?

131 Sed quia ex asserto Testimonio Magistri Araya dictam inhabilitatem in specie scire non possumus, videamus, an ex duplici libello Patris Magistri Leyba Regio Senatui exhibito, eam subodorari valemus. In primo Libello die 3. Februarii porrecto (In Processu Regi Tribun. à *pag.* 100., *&* *to.* 3.) in subjecta materia, ait = *Inhabilitatem dicti Magistri Fuentes esse publicam, & ab aliquibus ei fuisse oppositam inter vociferationem aulæ Capitularis ante ejus confirmationem, & ab illius expressione abstinet* = Optima moderatio, & Charitas Magistri Leyba octuagenario majoris? Asserit, inhabilitatem esse publicam, & ab aliquibus in aula Capitulari fuisse objectam, & dein abstinet ab ejus expressione? Absque scrupulo coram Regio Senatu, & universo populo dictum Magistrum Fuentes tamquam inhabilem infamat, & post ex fraterna charitate reticet delictum, quo dictam inhabilitatem contraxit? In 2. Libello die 22. Februarii eidem Senatui exhibito. In eodem Procesf. *pag.* 123. *a tergo*, *&* 128. *a tergo*, ita ait= *Secundum fundamentum jus Patris Magistri Fuentes ad Provincialatum enervans est eius inhabilitas publica, & notoria ad omnia Officia cum cura animarum: quod constat ex publica voce, & fama, collata cum Capitulo primo nostræ legis 3. part. num. 3. quin sit evasio ly non convictus: quia sufficit, quod sit inhabilis.* Et immediate ita prosequitur = *Et quod non habeat secundum requisitum a nostra lege 3. part. c. 9. § 6. nu. 1. expofcitum ad Provincia= latum ipsa lex confirmat enumerando illos, qui nequeunt eligi cap. 2. Tertiæ part. num. 6. prope finem, cuius verba terminantia pudor vetat exprimere* = ita hac in parte suam narrativam concludit scrupulosa religiositas dicti Magistri Leyba, nimio pudore affecta, seu proprius pudorem affectans! Et si ipsum non puduit, tot gravia crimina suis citationibus indicare (quia sunt notoria, & publica, ut ipse testatur), nescimus, cur pudeat terminantia legis verba exprimere?

132 I. Circa inhabilitatem in uim dicti primi Libelli Patri Magistro Fuentes impictam, nil respondendum restat, cum qualis sit minime exprimatur. Vnde hac in parte Magister Leyba suum Notarium Magistrum Araya emulatur: qua propter in illius assertum *numeris* 127. 128. 129., *&* 130. dicta pro responsione accipiat. Et si inhabilitas Magistri Fuentes erat publica, & notoria, ut uerecundus Magister Leyba testatur, quo motivo ab eius expressione abstinet, cum à publica diffamatione dicti Magistri Fuentes non abstineat? Dicti Patres Magistri culicem excolant, sed Camelum deglutiunt. Nec in 2. citato Libello dictam inhabilitatem exprimit, sed ambagibus, & uerborum inuolucris eam indicare contendit, uariis citationibus ad Constitutiones Ordinis; sed hoc facit tanta confusione, ut ejus dictum, nescimus, cui loco citationis tribuatur: Nam prima citatio 3. *part. c.* 1. *num.* 3. est plane nugatoria, cum nil ibi de subiecta materia agatur; nec

in

in d. *cap. numerus* 3. reperiatur, & idcircò in dicta citatione errorem irrepsisse, supponere debemus, & loco 3. *part.* substituendum esse *primæ partis*, quod tam ex *capite*, quam *ex numero*, addito ly *non conuictus*, coniicimus. Sed demonita sit, & simul, quod assertum Magistri Leyba aliquali gaudeat ueritate (qua penitus caret) hoc non sufficit, ut Magister Fuentes dicatur inhabilis, & cum effectu à Prouincialatu deiiciatur.

II. Quia dictus textus est tenoris sequentis = Si autem Frater ,, aliquis, (quod absit) tam immemor diuini cultus, ac propriæ ,, salutis fuerit, ut divinum non persoluat officium, si sufficienter ,, fuerit conuictus pro prima uice eamdem pęnam grauioris culpæ ,, per mensem subeat, pro secunda uero uice eamdem pęnam per ,, duos menses sustineat, quod si deinceps se emendare neglexerit, ,, tamquam infamis habeatur, & publicetur, & à quacumque di- ,, gnitate, & officio deponatur, atque uoce actiua, & passiua per- ,, petuo priuatur, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Nea- ,, poli celebrato Anno Domini 1539. = En textualis dicti numeri dispositio, juxta quam sequentia requiruntur, ut quis priuationem perpetuam utriusque uocis, seu inhabilitatem incurrat, uidelicet. Quod de tali delicto sit sufficienter conuictus. Quod per primam, & secundam uicem grauioris culpæ pęnam subierit. Et quod deinceps emendari neglexerit. Et cum d. Pater nec fuerit sufficienter, aut aliquomodo conuictus, nec pro prima tantum uice, aut penitus, aut reprehensus, ut de illo possit uerificari, quod emendari neglexerit: sequitur, ut priuationem perpetuam utriusque uocis, aut inhabilitatem non incurrerit adhuc in casu, quod tale delictum commisserit.

III. Item in citato Textu est reflectendum. Primò: *in lij si sufficientèr fuerit conuictus*, & in lij: *quod si deinceps se emendare neglexerit*. Vbi vtrobique ponitur dictio *Si*, quæ conditionem importat, vt est indubitatum: Sicut, & quod natura *conditionis* talis sit, vt ea omissa, seù non posita corruat dispositio, nec effectum sortiatur, ex latè dictis supra §. *VIII. num.* 42. *II.* Igitur si neutrum de dicto Patre verificatur, nequit in illo habere locum Textus dispositio. Secundo est reflectendum in verbis ibi appositis, nimirùm = *habeatur*, *publicetur*, *deponatur*, & *priuetur*, quæ ex natura sua non pænam latæ *Sententiæ*, seù *ipso facto*, sed dumtaxat *ferendæ Sententiæ* denotant, vt inter Doctores est in controuersum. Et clariùs euincitur ex Indice Constitutionum Ordinis *pag.* 589. *versic. Pro grauiori* = ibi = *Imponenda non persoluentibus Diuinum Officium*, & refertur ad paginam, & numerum citati Textus. Et in eodem Indice, & cum dicta relatione *pag.* 603. *versic. Priuatio vtriusque vocis* = ibi = *Perpetuò priuandus qui bis propter Officium Diuinum non dicendum punitus non se emendat* = En tam lij *imponenda*, quam lij *priuandus* pænam *ferendæ Sententiæ* tantùm significant, vt est indubitatum: quia si esset *latæ Sententiæ*, diceret =

 impe-

imposita, priuatus. Et cum pœna *Sententiæ ferendæ* haud habeat locum, seù non sortiatur effectum ante Sententiam Declaratoriam Iudicis, aut Prælati, vt omnes conueniunt: fit indè, vt si in præsenti casu nulla Declaratoria Iudicis, vel Prælati præcessit, in fumum abijt calumniantium prætensio. Et talis Declaratoria deberet esse juxta superiùs dicta *num.* 130. *II.* Vndè perperam Mag. Leyba illud adiunxit = *Quin sit euasio luj non conuictus: quia sufficit, quod sit inhabilis*. Ratiocinium Magistro Seniori Prouinciæ indignum. Quia *si, quod sit sufficienter conuictus*, est quod primo & necessario requiritur, vt post binam punitionem, & deinde incorrigibilitatem, declaretur vtraque voce priuatus, & consequenter inhabilis: quomodo, *quod non sit conuictus* euasionem appellat? Cur absque tali conuictione, ac bina punitione eum constituit inhabilem?

133 I. In dicto secundo Libello Magister Leyba dicit = Quod Magistro Fuentes deest secundum requisitum pro Prouincialatu à Lege 3. *par. c.* 9. §. 6. *num.* 1. præscriptum = Etiam in hoc dictus Pater labitur. Nam dictum requisitum ex loco citato est tenoris sequentis = *ac qui aliquando in Officio Prioratus per aliquod tempus laudabilitèr se gesserit*. Et licet verum sit, quod Magister Fuentes multoties ad Prioratus electus eis cesserit, quia ob sui genij mitis indolem ad gubernium ordinarium se minus proportionatum agnouerit, tamen hoc pro Prouincialatu non officit, cum sit à dicta Lege exceptus, quia Constitutio citato loco, post assignatum Prioratus requisitum, immediatè excipit Studiorum Regentes persequentia verba = *Excipimus verò hac in parte venerabiles Gymnasiorum Regentes &c.* Et sub hac exceptione intelligebantur in Prouincia comprehensi non solum Magistri de Cathedra, sed etiam Lectores Iubilati [videlicet, qui cursum integrum suæ Lecturæ confecerant] & ex vtrisque multi fuere ad Prouincialatum euecti, nemine contradicente, aut impugnante, quin ante Prioratus Officium exercuissent, aut Regentes Studiorum fuissent, & vnus ex his fuit Magister Soto huiusce contentionis coadiutor. In dicta intelligentia, & praxi retroactis temporibus semper fuit Prouincia, & modò circa hoc nulla adest dubietas, quia in Comitijs Generalibus Anno 1721. Romæ celebratis ad instantiam Prouinciæ Lusitaniæ fuit declaratum, quod in Prouincijs Hispaniarum, & Indiarum sub nomine Regentium Studiorum, etiam veniunt Lectores Sacræ Theologiæ, quoad effectum insinuatum. *Constat ex Actis dicti Capituli Generalis in Regesto Ordinis*. Id ipsum declarauit Reuerendissimus Gioja ad instantiam Prouinciæ Peruntinæ, & quidem meritò, quia in principalibus Studijs dictarum Prouinciarum sunt tres, vel quatuor Lectores Theologiæ cum actuali exercitio, & insuper vnus Studij Regens, qui vt plurimum jam est Magister, vel Lector Iubilatus. Vndè quia multoties Lectores Theologiæ cursum suæ Lecturæ concludunt, quin titulum Regentis habuerint, & sine

pro-

propria culpa dicto priuilegio fraudarentur, fuit declaratum, eos sub exceptione Regentium comprehendi. Totum hoc nusquam fuit in Prouincia hæsitatum, aut alicui venit in mentem, nisi nunc dumtaxàt Magistro Leyba, eiusque Gregalibus, qui remissis contensionis habenis, nec inusitatiorem moliendæ nouæ inhabilitatis lapidem deseruere immotum.

II. Magister Leyba suam prætensionem fulcire conatur altero Constitutionis Textu, videlicet *3. part. c. 2. num. 6. prope finem*. Verùm quia etiam Textum ad aliquam inhabilitatem in particulari contrahat; quapropter nil de nouo superest respondendum, quia citatus Textus tantum loquitur de inhabili ob aliquam Causam, vel de illo, *qui non sit bonæ famæ, hoc est, qui sine satisfactione, & emendatione longi temporis de aliquo vitio, seù peccato graui confessus, vel conuictus fuerit, aut communiter infamatus, nisi se canonica purgatione purgauerit*. Sunt verba formalia Legis citato loco. Vndè si intentio Magistri Leyba erat patrocinari d. Texto quoad eius primam partem, nimirum prout loquitur *de inhabili ob aliquam causam*, opportebat prius causam ostendere, & probare in cuius inhabilitatem Magister Fuentes incurrit, quod minimè fecit, & sic supponit absque scrupulo, quod probare debebat, & ex hac calumniosa suppositione, quod sibi libet, tanquam certum statuit. Si secundam partem d. Textus in sui auxilium volebat adducere, nempè *qui non sit bonæ famæ &c.* prius debebat probare, dictum Magistrum Fuentes, de aliquo graui delicto fuisse *confessum, vel conuictum*, quod nec probauit, nec cum veritate probare poterit. Nec illud, *aut communiter infamatus &c.* Magistro Leyba suffragatur, quia prius erat seriò considerandum, an mala fama orta fuerit ex grauibus, & honestis viris, vel potiùs ex maleuolis, iniquis, vel leuibus personis. Nam hæc per se loquendo non est in consideratione habenda, vt ait Passerin. *de Elect. c. 33. q. 9. num. 118. cum communi*. Et hoc judicare, non est officium partium, sed Confirmatoris electionis, ait Auctor citatus. Et si aliquis rumor contra famam Magistri Fuentes ad aures Magistri Leyba peruenit, debebat vti remedio in nostra Lege præscripto *6. part. c. 12. num. 2.*, vel ei talem exceptionem ante communem electionem objicere, vt se defenderet, & canonica purgatione purgaret, & *si hoc renueret*, tunc Magister Leyba haberet intentum, vt expressè dicitur in citato Textu = ibi = *nisi se canonica purgatione purgauerit*; Nil horum Magister Leyba vllo tempore intra claustra fecit; sed viginti duobus diebus post electionem per publicum Libellum totum hoc Regio Senatui exposuit. Qua conscientia: ipsi videant!

III. Et dictum Magistrum Fuentes nusquam antè hac sinistra fama fuisse conspersum ex Factis facile euincitur. Nam jam in Sacra Theologia Magister Comitijs Anno 1725. celebratis interfuit, sicut & omnibus alijs vsque modo in Prouincia coactis quæ sunt vndecim, computata Congregatione Capitulari habi-

ta Anno 1750., in qua Magister Soto euasit Rector Prouincialis, & cum d. Magistri Fuentes suffragio], vna cum alijs Magistris, qui eum nunc infamare procurant. *Totum constat ex Actis dd. Capitulorum in Arch. Ord. extant.*, quin vnquam tàm turpis nota ei fuerit obiecta. Et vndè nùnc post 30. Annos Magisterij, & assistentiæ vndecim Capitulis, repentè, tanquam fungus nascatur? Et est notatu dignius, quod die anteriori, nempè 31. Ianuarij vespere, Magister Leyba, eiusque Gregales ægrè decertarunt, vt dictus Magister Fuentes Officium Præsidis admitteret, illudque exerceret. Et si tunc jam erat infamis, publicè inhabilis, & vtraque voce priuatus, quomodo intendunt, vt Præsidentia, & consequenter voce actiua in Comitijs fungatur? Quarè tunc huiusmodi exceptionem ei non objiciunt, eamque probant; vt illum à Præsidentia, voce actiua, & passiua, seù habilitate ad Prouincialatum, vno tantùm ictu deijciant? Erit nè præsumendum, totum id ex fraterna charitate omisisse? Neutiquam, vt posteriora facta probarunt. Et sic conijciendum est, dictos Patres præproperè ad Scrutinium, & electionem, imo nec immediatè post, expresse, ac nominatim, huiusmodi infamiam, & inhabilitatem opposuisse, quia reapse non erat, nec pro tunc ab eis machinata, sed postquam à majoritate vocum euasit electus tunc eam moliri cæperunt, vt tali imputatione nullitatis electionis, attentatam Magistri Leyba electionem sustinerent.

IV. Quamobrem apparet, quod iste modus inferendi electionis nullitatem ex defectu electi, eo non citato, confesso, aut probationibus sufficientèr conuicto, etiamsi inhabilitatis causa occultetur, speciem boni non habet, & religiosis non congruit, quorum munus est ab æmulationibus abstinere, Christianæ charitati incumbere, & proximorum (præsertim Fratrum) honori, & saluti prospicere, vt optimè inquit Passerin. *de Elect. c.33. q.11. num.* 161. Nam ex contrario, maleuolis, discolis, & factionarijs, tempore Capituli latissima pateret via, vt cuilibet electo, etiam dignissimo, infamiam seù inhabilitatem vagam, & improbatam opponerent, & tali dolo eius electionem impeterent, & obedientiæ jugum excuterent, quod fieri, æquitati, & rationi est dissonum. Idcircò huiusmodi oppositiones præuiè, & expressa inhabilitatis causa semper sunt faciendæ, vt eligendus, vel electus se defendat, & purget, & malitijs hominum occludatur via. *Et eo magis* (loquatur Passerin. *loc. cit.*), *quod experientia demonstrat, sæpissimè oppositiones ad vocem eius, contra quem diriguntur veritatis luce splendente euanescere, & multoties expertus sum eas, quò grauiores erant, cò falsiores inuentas fuisse.*

§. XXV.

134. Facta publicatione electionis communis modo dicto in *Relatione Facti num.XI.* illico Magister Soto alta, ac elata voce dixit *Electionem stare pro Reverendo Patre Magistro Leyba*, & immediatè subsecuta sunt omnia citato loco relata. Et si primus

Scru-

Scrutator in publicando tali modo electionem enormiter defecit, enormius dictus Magister Soto lapsus fuit, dum nominationem Patris Magistri Leyba ab ipsis in scrutinio factam, tamquam legitimam, & validam electionem ore pleno pronuntiat, acsi esset in materia Iudex, sed huius effati insubsistentiam, & absurditatem latè propugnavimus supra §§. *III.*, *& IV.* quapropter ab ulteriori impugnatione abstinemus. L

135 Assertam Magistri Leyba electionem confirmavit Pater Rector Iubilatus Fr. Augustinus Gutierrez Diffinitor antiquior Capituli præteriti, ut constat *ex d. Relatione fact. loc. cit.*; & ab ipsis etiam profitetur. Sed qua auctoritate, aut iure id fecerit, planè nescimus, cum dictus Pater, nec in possessionem Præsidentiæ unquam fuisset, nec Præsidentis munus in Comitiis obierit. Magister Leyba in primo Libello, & Magister Araya in suo asserto Testimonio huiusmodi attentato occurrere intendent; aient, fuisse factum recursum pro parte dicti Magistri Leyba ad Patrem Regentem Studiorum Emmanuelem Teribarren in literis Præsidentiæ tertio loco nominatum, ut eiusdem electionem confirmaret, sed noluisse, quod penitùs veritate caret, ut ex illius attestatione iurata in Instrumento auth. sig. litt.D. aperte evincitur. Et si revera fuisset requisitus, optime faceret in non se immiscendo rei, ad se non pertinenti, cum minime Præsidis fungeretur officio. Præterquamquod, cum ex Concilio, Iuribus, & Constitutionibus Ordinis, ad electionem requiratur maior pars, nullus inferior Papæ potest confirmare eum, qui non est nominatus à maiori parte, ut ait Passerin. *de Elect. c. 19. q.4. num.19* Et cùm Magister Leyba haud fuisset nominatus à maiori parte, ut ex publicatione Scrutinii liquido constat: fit inde, ut nec à legitimo Præside posset confirmari, quanto magis ab intrusis. Vnde dicti Patres, tam in habendo tanquam legitimam, & validam dictam assertam electionem, quam in parendo Magistro Leyba, ut Provinciali electo, pessimè fecerunt: nam in materia tantæ gravitatis sibi usurparunt authoritatem Iudicis, in causa propria, & insuper in monstrum biceps Provinciam reduxerunt.

136. Quamplura Magistrorum facta electionem Provincialis consequentia exagitare omittimus, & ne in volumen præsens consultum acrescat, & quia nullo jure, & ratione fulta, ac perconsequens seipsis decidunt, suamque insubsistentiam præseferunt, & sic ad trutinandum præcipua momenta, queis Magister Leyba suam electionem statuere, & fulcire conatur gradum faciamus. Ea adduxit dictus Pater Magister in duobus libellis Regio Senatui, & Gubernatori totius Regni die 3. & 22. Ianuarii exhibitis, quibus sibi Regium auxilium impartiri inhiabat, ut tanquam Provinciali electo ab omnibus Religiosis obedientia præstaretur. Primum fundamentum pro sua intentione est, quod ipse fuerit electus à saniori parte, & suam partem esse saniorem fundat, quia Vocalibus

bus nullo vitio invaliditatis infectis constabit, quo vitio quatuor Vocales partis adversæ laborare fidenter asserit, videlicet Patrem Provincialem, Diffinitores Morel, & Chagaray, & Magistrum Chacon, & Patrem Provincialem tali nota à Comitiis intentat repellere, ex duplici capite. Primum, quia fecit Priorem Conventus de Mendosa Patrem Prædicatorem Robledo, *ad effectum electionis*. Secundum quia dedit licentiam, ut è Conventu S. Iacobi exirent, Patribus Diffinitoribus Morel, & Chagaray, quod ipsi erat vetitum per Decreta Reverendissimi Schiffinati, sub *pœna privationis vocis activæ per biennium* [*In Process. Reg. Tribunalis pag.*100., *&* 102..] ait in primo libello, sed in secundo inquit *sub pœna privationis utriusque vocis per quinquennium In d. Proc. pag.*123. *à ter.* , *&* 128.

137 I. En primum fundamentum, & Achilles prætensæ electionis Patris Magistri Leyba, sed prorsus futile, & inane. Nam illud assertum *de saniori parte* est supra §.*IV. à num.*20. late impugnatum, & sic transeamus ad duo capita, queis vult, Patrem Provincialem esse voce privatum. Primum caput deducit ex Concilio Tridentino *sess.*25 *c.*6.*de Regul.* ibi= *Nec imposterum liceat, Provinciales Priores, aut alios quoscumque titulares ad effectum electionis faciendæ, constituere, aut voces, & suffragia absentium supplere &c.* cui inhærent Constitutiones Ordinis 3. *part. c.*2. *n.*2., *&* 3. Sed tam in dictis Decreto Conciliari, & dispositione Constitutionis solum dicitur, quod *si contra dicti Decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit, & is, qui ad hunc effectum se in Generalem, Provincialem, Diffinitorem, &c. creari permiserit, deinceps ad omnia officia in Religione obtinenda inhabilis omnino existat*. En dispositio Constitutionis Ordinis *d. n.*3. omnino conformis ordinationi Concilii, in qua tota pœna ibi apposita dumtaxat reducitur ad irritationem electionis taliter factæ, & perpetuam inhabilitatem electi. Vnde ergo Magister Leyba pœnam inhabilitatis, & privationis vocis contra taliter eligentem invenit? Quo nixus fundamento contra Provincialem eligentem, & Magistrum Chacon Prioratui renuntiantem [ut ait in secundo libello) dictam pœnam somniavit? Igitur, etsi gratis daremus (quod minimè concedimus) quod Pater Provincialis dictum Priorem ad effectum electionis fecisset, & Magister Chacon dolosè Prioratui renuntiasset, vi dictæ dispositionis Conciliaris adhuc non fuissent tali somniata pœna incursi.

II. Mens ergo, atque intentio Concilii *loc. allegato* tantum fuit tollere, ac penitus amovere quamdam antiquam consuetudinem, qua in aliquibus Religionibus Superiores, & Præsidentes in Capitulis vota absentium propria auctoritate supplebant, & cui volebant, vocem absentis tribuebant ad effectum electionis faciendæ, quodquidem in magnam electionum fraudem, & Religionum perniciem vergebat. Hoc itaque tantummodo fuit per Concilium loco citato vetitum, & omnino interdictum. Ita expres-

expresse docent Miranda *in Man. Prelat. tom.2. q.23. art.7.* Rodericus *tom.2. qq. Canon, q.51. art.6.* Lavonius *de Elect. c.17. n.33.* Lezana *tom.1. c.15. à n.8. tom.2. V. Electio num.123., & tom.4. consl.13. numer.47., & 48.* Bordon. *resol.26. num.6.*, & plures alii, quod pariter de mente, ac intentione nostræ legis discurrendum. Et cum modo dicto, nec Prior Conventus de Mendoza, nec Prior Conventus Conceptionis [ob renuntiationem Patris Magistri Solis] fuerit nominatus; sed tempore competenti, & auctoritate Capituli privati, & in Conventum Priore vacantem: nequit dici Prior titularis, aut ad effectum electionis factus. Nã illi dicuntur Priores titulares, & minimè voto gaudent, *qui Priorum quidem appellatione honorantur, sed locum gubernii destinatum minime habent, ac unius solius tituli nomenclatura potiuntur*, ut habetur in Decretis Capitul. Generalis anno 1685. Romæ celebratis *pag.*80. titulo = *Pro Novi Regni Granatensis Provincia n.*5.

138, Nec relevat, quod ait Magister Leyba, nempe Magistrum Chacon post renuntiationem in gubernio Conventus per aliquot menses continuasse, eiusque Successorem parvo tempore Conventus administrationem habuisse. Non inquam relevat, quia hoc accidit ob iusta, & inevitabilia motiva superius relata §.*XIX. n.*100. Et nec in iure municipali, Decretis Generalitiis, aut particularibus Provinciæ est præscriptum quantum tempus debeat Prior Conventum gubernare, ut verè sit talis, & ius eligendi possideat: quapropter quod is gubernii tempus pro utroque sufficiet. Vnde à tempore suæ electionis, seu nominationis est Prior in possessione Prioratus, & iuris eligendi, quia ad locum Priorum est admissus, etiamsi nondum corporaliter in Conventu erit, ut ex Sac. Rota Ancarrano, Lambert. Ferret., & aliis tenet Passerin. *de Elect. c.*14. *q.*7. *à num.*36. *ad* 41.

139 Circa secundum inhabilitatis, seu privationis caput Patri Provinciali violentissimè obiectum, dictum est supra latissimè §.*XVIII. n.*92. 93., & 94. & supervacaneum esset dictis addere. Tantum notanda est contrarietas (seu potiùs falsitas) qua procedit Magister Leyba in suis assertis. Primò, supponit, dicta Decreta à Reverendissimo Schiaffinati fuisse expedita ad instantiam Reverendissimi Salinas Procuratoris Provinciæ quod est omnino falsum, cum ex officio, seù *motu proprio* fuerunt expedita, vt ex illorum exordio expresse constat. Secundo in primo libello asserit Patri Provinciali esse interdictam licentiam dare Definitoribus, & istis eam petere, sub pæna privationis vocis activæ per biennium, & in secundo libello asserit, esse pænam privationis utriusque vocis per quinquennium. Et in utraque parte labitur, cum in Decreto octavo (ubi tantum de subiecta materia agitur] solum fiat mentio privationis utriusque vocis per sexennium, licet pro alio fine, ut est dictum *num.*92., & 93. Tertio dicit, dicta Decreta lingua vernacula (nimirum hispana) fuis-

fuisse in Provincia publicata modò per ipsum relato, quod etiam est falsum, ob dicta *num.*94, ex queis liquido eruitur, dictum Pitrem, eiusque Gregales nec ea vidisse, saut proprio auditu audivisse, imò nec a persona bene instructa notitiam habuisse, sed eam ex pueri li rumore acceptam, aut turbulentis fontibus haustam, præcipiti ausu in tam insolita prosiliere gesta.

140 Quoad inhabilitatem Definitoribus Morel, & Chagaray obiectam, eo quod è Conuentu S. Jacobi de licentia Patris Prouincialis exierint, late est responsum supra §.XIX. *n.*95. Et pro inhabilitate Magistro Chacon imposita, eo quod Prioratui Conuentus de Mandosa renuntiauerit, pariter est dictum supra *L.c.* à *num.*98. *ad* 103.

141. Ex falsa suppositione inhabilitatis, seu priuationis vocis actiuæ dictorum quatuor Vocalium Magister Leyba aliud fundamentum assumit ad eneruandam Magistri Fuentes electionem, & suam statuendam hoc modo. A nouem Vocalibus in Magistrum Fuentes consentientibus sunt auferendi illi quatuor relati, vtpotè inhabiles, & voce priuati ob dicta motiua. Igitur pro eo tantùm restant quinque Vocales, & per consequens eius pars est minor ea, quæ pro Magistro Leyba stetit, quæ septem Vocalibus vndequaque habilibus constabat. Vnde istius electio, & non illius, erit canonica. Ita lætanter discurrit d. Magister Leyba, sed inconsultò, vt mox apparebit. Quia si dicti quatuor Vocales a parte Magistri Fuentes omninò essent excludendi ob motiua dicta, ob eadem à parte Magistri Leyba pariter essent excludendi tres, nimirum Magister Soto, Diffinitor Vadiola, & Magister Solis. Primus, nempe Magister Soto, duplici titulo, & quia erat excommunicatus, & vt talis declaratus, ex dictis *supra num.*10., & 115., & quia dum esset Rector Prouinciæ anno 1751. bis dedit licentiam Definitori Oliuares, vt à Conuentu S. Jacobi exiret per bimestre pro qualibet vice, & ad loca distantia, ex dictis *n.*95. II. & III. Et si ob licentiam præstitam priuationem vtriusque vocis per quinquenium contraxit [juxta eorum dictamen] adhuc tempore istorum Comitiorum erat ea irretitus, cum nondum quatuor anni essent elapsi. Secundus, nempe Definitor Vadiola, quia de licentia Patris Prouincialis à Conuentu S. Jacobi per bimestre exiuit, & ad loca distantia *citato loco* = Tertius, nimirum Magister Solis, quia Prioratui Conuentus Conceptionis renuntiauit, ex dictis *num.*102. Vnde si à septem Vocalibus, quos pro sua parte numerat Magister Leyba, hi tres auferantur, ei tantum supersunt quatuor, ac per consequens in minori numero, præ Magistro Fuentes. Et si motiua, quæ Magister Leyba somniauit, reapse Vocales constituerent inhabiles, & voce priuatos, contra suos etiam militarent, & perperam dixit, suam partem ex septem Vocalibus vndequaque habilibus constare.

142 Aliò fundamento Magister Leyba electionem Magistri Fuen-

tes

tes funditus euertere contendit sequenti discursu. Totus numerus Electorum tam habilium, quam inhabilium fuit octodecim, & vt quis pro se haberet electionem Canonicam, si erat de Corpore Capituli (vti erat d. Magister Fuentes), debebat habere vndecim vota, vt essent duo supra medietatem, & vnum, si non fuisset de numero eligentium. Et hæc est principium certum in iure, & à dubio alienum; & nullus est, qui hoc ignoret. Et cum Magister Fuentes tantum habuisset nouem vota in scrutinio, & cum dictis nullitatibus, & aliunde esset de numero eligentium: sequitur, vt ei defuerint duo suffragia, vt duo haberet supra medietatem totius Capituli: ac proinde eius electio non fuit canonica. Ita ratiocinatur Magister Leyba in dicto suo primo Libello. Et in secundo idemmet æquiualenter dicit, cum relatione ad Constitutiones *Ord.3.part. cap.2. num.1.*; vbi disponitur, quod, vt electio sit canonica, debet habere electus, si non est de Corpore Capituli, vnum Votum ad minus supra medietatem totius Capituli; & cum Magister Fuentes solum habuisset nouem, quæ erat medietas totius Capituli ex duo de viginti Vocalibus constantis: Igitur eius Electio &c.

43 I. Nescimus quo fundamento Magister Leyba decretoriè asserit, quod vt electio sit canonica, in electum, si est de corpore Capituli, debent consentire duo Vota supra medietatem, & vnum ad minus, si electus non est de numero Capituli: nam huiusmodi distinctionem, tam in iure communi, quam in municipali ordinis minimè inuenimus. Et multi Doctores clasici relati supra §. I. *num.1. &* §. III. *num.10.* inquiunt, ad electionem Canonicam sufficere quemlibibet excessum, etiamsi sit vnius medii Voti supra medietatem totius Capituli; Quapropter, qua auctoritate Magister Leyba suum assertum dicat *in jure certum, & à dubio alienum &c.*, haud valemus attingere. Nec Textus, quem adducit Constitutionis *Ord.3. part. cap.2. num.1.* pro dicta distinctione, ei suffragatur, cum ibi nil dicatur, an si electus sit, vel non sit de corpore Capituli, sed absolute loquitur, & *vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*. Et aliunde, *si lex ita voluisset, facile expressisset*. Minus percipimus quomodo Magister Leyba in numero 18. Vocalium exigat vndecim Vota pro electione canonica, quando Constitutio *cit. loc.* in maiori numero Vocalium, nempe 20., sit contenta vndecim tantum votis pro eadem electione. Dicere, exemplum ibi appositum esse intelligendum, quando electus non est de corpore Capituli [vt insinuat Magister Leyba in secundo Libello] est diuinare, & ex proprio cerebro confidenter loqui.

II. Relatam doctrinam de duobus Votis supra medietatem totius Capituli, si electus sit denumero eligentium, fortasse vidit Magister Leyba in dicto Passerin. *de Elect. cap.19. quæst.4. num.10.* ibi = *In Ordine vero Prædicatorum si electus est de numero eligentium, necesse est, vt nominatus excedat medietatem Votorum*

rum

rum eligentium per duo Vota Glossa Const. dis.2. cap.2. §. 1. l. A. Sed si ibi doctrinam vidit, aduertere debuisset, dictum Authorem doctrinam afferre suo Ordini Prædicatorum ex speciali Statuto restrictam, non vero tanquam generalem ex jure deprompram, cæterisque Ordinibus communem. Quin potius, loquendo absolute, seu in generali, excessum per dimidiam vocem ad electionem sufficere, ait *loc. cit. num.*18. ibi = *Aduertendum etiam, illum censeri nominatum à maiori parte Capituli, qui medietatem excedat etiam per dimidiam vocem. Vt si sint nouem Vocales, qui est nominatus à quinque Vocalibus, est nominatus à maiori parte.* Ita citatus Author ex Panormit. Butrio, & Sigismundo. Igitur quod n. 10. anteriori d. Author dixerat de duobus votis supra medietatem, si electus sit de numero eligentium, dumtaxat est pro suo Ordine Prædicatorum, vel pro aliis, vbi fuerit simile Statutum, quod minime est in nostro Ordine: vel Magister Leyba ostendat, qua in parte sit. Et simile Statutum Ordinis Prædicatorum tantum esse intelligendum in numero pari Electorum, non verò in numero impari, ex doctrina d. Authoris delumimus, nam post relata verba, ita prosequitur = *Et in Ordine Prædicatorum si sint nouem Vocales, & electus sit præsens, sufficit, quod sit nominatus à sex, licet numerus senarius excedat nouenarium in vno cum dimidio.* En adhuc in d. Ordine maior excessus requiritur in numero pari electorum, quam innumero impari, et si vtrobique electus sit de eligentium numero: Igitur si in nostro Ordine excessus vnius solius voti supra medietatem totius Capituli sufficit ad electionem canonicam in numero pari Electorum, vt aperte constat ex exemplo posito in Constitutione *Ord. loc. cit.*; in numero impari sufficiet excessus medii voti supra medietatem totius Capituli.

Alia fundamenta Patris Magistri Leyba adducere omittimus, & quia futilia, & nullo jure sulta, & quia in progressu istius Consulti multoties attacta, & latè impugnata.

Hæc sunt, Reuerendissime Pater, momenta, quæ vestra afflictissima Prouincia Chilensis pro validitate, & canonicitate electionis Patris Magistri Fuentes vestro conspectui reuerenter exhibet, & fideliter exponit, & vestræ integerrimæ justitiæ innixa, eius approbationem, ac confirmationem indubie sperat. Simul plus sanguineis lachrymis, quàm verbis, plura aliquorum suorum Alumnorum repræsentat gesta, qui velut viperei spatio quinque lustrorum cum dimidio bis suam Matrem Prouinciam dissidiis dirè lacerarunt, ac monstrum biceps fecerunt; Qua intentione, aut fine, lynceos Vestræ Reuerendissimæ haud latet obtutus. Idcirco ad vestram justitiam pro opportuno remedio clamat, exaudirique pollicetur, nec non, & quod aures pateas bonis, & perturbationibus claudas; ne suis versutiis, ac cauillationibus veritatem obumbrent, faciantque candida de nigris, & de candentibus atra. In Te denique confidit Prouincia inuenire graphicen il-

lius

lius justitiæ, quam quidam Poeta (*Ap. Redn. de Elect. tom.3. tit. unic. sect.17. num.693.*) ad normam Dialogi, interlocutoribus, Philosopho, & Iustitia, his verbis expressit.

P. Aurium aperta tibi cum altera, & altera clausa est?
I. Vna patet iustis, altera surda malis.
P. Cur gladium tua dextra gerit? Cur læva bilances?
I. Ponderat hæc causas, percutit illa reos.

Ioseph Antonius Libert.

70

